

XX (X. 7. V.
EXERCITATIO IVRIDICA
DE
DONATIONIBVS.

QVAM
CHRISTO REDEMPTORE
AVSPICE

SVB PRAESIDIO

Amplissimi & Consultissimi Viri

DN. IOANNIS Mehlbaum I.V.D.
ET IN ILLVSTRI IVLIA PROFES-
SORIS ORDINARIJ, NEC NON IVDICII
PROVINCIALIS GVELPHICI ADSES-
SORIS DIGNISSIMI.

Dn. Praeceptoris sui plurim. honorandi

P. P.

IOHANN BÖNIGS

Hannoveranus

IN NOVI IVLEI AVDITORIO MAIORI

d. v. Decembr.



HELM AESTADI,
Typis HENNINGI MULLERI,

CIO IO C XLVI.

Diss. jur. civ.

57,2.

6-

AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO, CLARIS-
SIMOQUE VIRO
DN. IACOBO Bunting ICTO AC REIP.
HANNOVERANAE CONSULL. Parenti suo
pietate debitaque observantia jugiter Colendo

Εὐδαμονίας.



Votiescunque, Parens Venerande, spatium praeteriti tem-
poris mei considero, toties paternus tuus erga me affectus
non potest non animo meo obversari, quantam videlicet curam
quantamque sollicitudinem a teneris, quod dicitur, unguiculis
abs te sum educatus, formatus, institutus. Nequaquam enim
Tibi vulgo quod parentibus evenit habere filium erat satis, sed id operam
dabas quam maxime ut a prima aetate & pietas & reliqua ad vitam decenter
instituendam beatamque transigendam necessaria mihi instillarentur; &
hoc eo magis erit deprecandum, quod laudabilius est te Praceptoribus
solis id non commisisse, sed quod ipse meus quotidie existeres in hoc mundo.
Adultior factus ad hanc illustrem Juliam tanquam ad bonarum artium
& scientiarum mercatum sum ablegatus, studio Philosophiae iuxta ac
Iurisprudentiae ut navarem operam; cuius rei gratia per integrum iam
ferè quadriennium sumtus quoque abundè satis mihi esse suppeditatos
gratam mente lubens agnosco, & agnoscam dum vixero, imò hoc nisi face-
rem, non homo amplius, sed mutus dicendus essem ingratus. Hec at-
que alia collata in me beneficia cum hisce proximis diebus mente paulò
tranare penitus, sollicitus esse coepi quo modo gratum Tibi animum
declararem saltem, qui hanc valeam reddere, dicente Philosopho, ἰσοππορω.
Presentem itaque iuridicam Exercitationem a me, quantum per ingenij
vires licuit, elaboratam Tibi soli consecrandam censui, tum ut publicum
aliquod memoris tot beneficiorum animi exstaret symbolum, tum etiam
testatum ut facerem, sumtus ex verè paterna liberalitate profectos hanc
quaquam esse collocatos inutiliter, tum denique vulgatum ad hoc me
instigavit dictum, frugum primitias natali esse solo debitas. Hilari ergo
serenoque vultu, Charissime Parens, hoc quicquid est accipe, olim, aucto
cum aetate iudicio, maius quiddam & perfectius expectaturus: interim
Deum, ter opt. max. veneror, ut vegetam ac diuturnam Tibi senectam frui
liceat, quod consilijs tuis & patriae & toti nostrae familiae quam diutissime
adesse possis. Scribeb. Helmstaed. IV. Kalend. xbr. 1646.

I. T. O. Iohan Bunting Aut. & Resp.



ΣΥΝ ΘΕΩ.
EXERCITATIO IVRIDICA
DE
DONATIONIBVS.
THESIS I.

DE DONATIONIBVS in genere brevem pro ingenij tenuitate didoneſque ad ventilandum proposituri, meritò ab invocatione divini Numinis exordimur: Omnis enim in litterarum studijs peregrinatio sine supernâ luce miserabilis quædam erratio eſt, teste Scaliger. exerc. 359. ſect. 1. Poſt devotam itaq; nominis divini implorationem rem ipſam ſtatim aggrediemur, initium facturi ab ipſa vocis Donationis origine, quippe cum ex Dd. monitu verborum ſemper prior, licet rerum potior ſit habenda ratio.

II. Dicta autem eſt Donatio ſecundùm Paul. in l. 35. §. 1. de mort. cauſ. don. à dono, quaſi doni datio, imitatione Græcorum, qui dicunt δῶρον καὶ δωρεῖον. Tale enim Ictiſtymon adferre ſolent, quod rem potius quàm verba ſpectat, ut exemplo mutui pr. Inſt. quib. mod. re contr. obligat. teſtamenti pr. 1. de teſt. ordin. poſſeſſionis l. 1. de acquir. poſſeſſ. prati l. 31. de V. S. &c. patet. Vitruvio verò lib. 2. c. 3. & Plinio lib. 35. c. 14. dicitur à Græco δῶρον quod eſt palmus, vel quia manu munera dantur, vel quia per manus datio munerum palàm geritur, quod Vitruvio placet.

III. Donationem per contractum alij definiunt, alij per modum dominij acquirendi, sed utrumque minus rectè. Etenim non est contractus, quia (1) nusquam inter illos est relata, sed potius ab iisdem distinguitur. *l. 14. de precar. l. 20. §. 1. locat. l. 46. eod.* (2) non habet nomen vel causam *arg. l. 18. de donat.* quorum tamen alterutrum in quolibet contractu requiritur *l. 7. §. 1. & 2. de pact.* (3) si est contractus vel nominatus erit vel innominatus: Ad illos si referenda, necesse est ut producat quoque actionem nominatam: Si ad hos, præscriptis verbis actio inde oriretur, quod utrumque falsum.

IV. Haut melior quoque est sententia altera, opinantium legitimum donationis genus esse modum acquirendi; cum enim hinc quæramus definitionem omni speciei & semper convenientem, non conveniat autem hocce genus donationi per pactum, contractum innominatum aut stipulationem factæ, vel per se hæc collabascit sententia. Accedit quòd & hi donationem cum traditione quæ ex causa donationis fit confundant, quæ maximè sunt distinguenda. Licet enim hæc duo tempore nonnunquam concurrant, naturâ tamen omnino præcedere debet traditionem donatio, tanquam titulus & causa ad transferendum dominium habilis.

V. Sit itaque nobis Donatio in genere cum Bocero *tract. de donat. c. 1. n. 2. actus ad donum in aliquem conferendum affectus.* Conf. Amplissimus & Consultiss. Dn. D. Hahn in *animadvers. Surholi. dissert. 6. animadvers. 4.* Generis loco ponimus *actum*, utpote verbum generale, ad omnia quæ quovis modo geruntur se extendens *l. 19. de verb. sign.* Cum verò donatio ex eorum quoque sit numero quæ variè perficiuntur, commodius ei genus applicari nequit. Reliqua definitionis verba ad differentiam, quæ
ab

ab alijs negotijs discernitur, sunt referenda. Omnis enim donatio fit in hunc finem ut donum in aliqué conferatur.

VI. Dividi porrò commodè potest donatio, ut I. alia sit propriè donatio, alia non propriè: hæc rursus vel mortis causâ, vel inter vivos II. dividitur in puram, conditionalem & sub modo, de quibus ordine videbimus.

VII. Propria donatio aliàs vocari solet Vera & absoluta *l. 35. §. 1. de Mort. caus. don. Simplex l. 20. §. 3. famil. ercisc. l. 20. §. 1. C. de collat. l. 20. pr. & §. simplices. C. de donat. ant. nupt. Communis l. 34. pr. C. de donat. Directa l. 35. eod. tit. item Mera l. 27. ff. de donation. Et hæc donatio est, quâ quis ex mera liberalitate ita dat, vt nullo unquam pacto ad se reverti velit. *l. 20. pr. & l. 1. ff. h. t.**

IX. Causa efficiens hujus donationis duplex est, remota alia, alia propinqua. Remota, quoad primam originem & formam substantialem, est jus Gentium; quoad formam verò accidentalem, quatenus scilicet per pactum legitimum aut stipulationem perfici potest, jus Civile: Non probamus autem eorum sententiam qui distinguunt inter originem & formam, quasi illa ad jus Gent., hæc verò ad jus Civile esset referenda. Perperam enim loquuntur Dd. qui hæc sibi invicem opponunt, perinde ac si res vel momento temporis possit absque forma actu existere, ut in simili loquitur Bernh. Sutholt. *Dissert. 7. aphor. 3.*

IX. Propinqua causa est consensus donantis & donatarij: Duobus autem constat iste consensus, intellectu rei gerendæ & voluntate, quorum alterutrum si abest, donatio est nulla. Deinde cum donatio rei interventum desideret, requiritur etiam ut donare volens liberam rerum suarum habeat administrationem. Hinc prohibentur donare quidam naturâ, quidam lege.

X. Naturā prohibentur donare ob defectum facultatis intelligibilis, qui oritur vel ex aetate, vel vitio animi. Ob aetatem donare nequit Infans & Infantiae proximus, cum nullum habeat intellectum, nec multum à furioso distet, ut loquitur Imperator in §. 9. *Inst. de inutil. stipulat.* imò cum fari nequeat l. 1. §. 2. *de administ. tutor.* l. 3. *C. qui admit. ad b. p. poss.* l. 1. *pr. de verb. oblig.* & l. 70. *eod.* merito ab omnibus omnino actibus arceri debet. Quod autem dicuntur infantes fari non posse, non ita crude est accipiendum, quasi verba proferre nequeant; id enim repugnat quotidianae experientiae, quippe cum videamus bimulos trimulosve, nedum septem annorum (qui terminus huic aetati est statutus in l. 18. *C. de iur. delib. d. l. 1. §. 2. de administ. tut.*) pueros animi sui sensa sine ulla titubatione eloqui; sed quod ita fari non possint, ut quae loquuntur quodammodo discernant atque intelligant, sicque καὶ ἐμφασιν dicant, uti hoc explicat optimè Theophil. quando in d. §. 9. ita loquitur: ἔστι δὲ εἰς καὶ ἐκφασίαν τὰ πρῶτα διώτα, ἀλλὰ διακρίνειν ἔδωκεται.

XI. Ob animi vitium interdicitur donationis actus Furiosis & Mente captis l. 23. §. 1. *de donat.* utpote quorum nulla est voluntas l. 40. *de Reg. jur.* Notandum autem ex l. 6. *C. de curat. furios.* furiosorum in legibus nostris duo dari genera: Vnum eorum, quibus continuum furoris infortunium accidit, qui que continuā mentis alienatione agitantur & torquentur. l. 14. *de offic. praesid.* l. 12. §. 2. *ibi: perpetuò furiosus. de iudic.* Alterum, quorum furor est intermissus, ac quos morbus non sine laxamento aggreditur, sed in quibusdam temporibus quaedam eis intermissio peruenit. d. l. 6. l. 22. §. 7. *solut. matr.* De furiosis itaque quā talibus, qui per omnia & in omnibus absentis & quiescentis loco habentur l. 2. §. 3. *de iur. codicill.* l. 124. *de regul. iur.* quod diximus

diximus volumus acceptum. Hi enim qui dilucida habent furoris intervalla, sive inducias, uti quoslibet actus furors quiescente rectè celebrant, ita & hunc donationis ritè expedire poterunt *arg. d. l. 6. vers. sed qui intervalla. C. de curat. furios. l. 9. C. qui testam. fac. poss.* Haut absimilis quoque mente captis est Ebrius, i. e. ad mentis usque alienationem inebriatus, qui adeò largiter vino se ingurgitavit, ut nullum prorsus rationis usum habeat, omnibusque destitutus sensibus quid agat quidvé loquatur planè ignoret: Hic enim cum mentis labore exilio *c. 14. extr. de vit. & honest. cleric.* adeoque consensu destituatur, meritò ejus donatio erit nulla, nisi despumato falerno ac discussâ crapulâ eam habuerit ratam.

XII. Lege donare prohibentur quidam ob consensu imperfectionem, alij ob malos mores, nonnulli ex speciali aliqua ratione. Ad primam classem sunt referendi Pupilli, quorum tres gradus proponuntur *in §. 9. Inst. de inutil. stipul.* vel enim sunt Infantes, vel Infantia proximi vel Pubertati proximi. Infantes ad septimum usq; annum dici, suprâ diximus. Infantia proximi ex communi Dd. sententia sunt, qui nondû pervenerunt ad decimum annû cum dimidio, si masculi sint; aut ad nonum cum dimidio si foeminae. Qui verò infra pubertatem eam ætatem excedunt dicuntur Pubertati proximi. Vid. Ludov. Molina *de iustit. & iur. tom. 1. tr. 2. disp. 224. n. 30.* Videntur tamen illi rectius sentire, qui quoto ætatis anno quilibet gradus sit definiendus iudicis arbitrio committunt, ceu facit Treutler. *volum. 1. disp. 6. thes. 5. lit. B.*

XIII. Infantem nec non proximum infantia donare prohiberi jam tum *th. 10.* dictum est. Iung. Hug. Grot. *de iur. bell. & pac. lib. 2. cap. 11. n. 5.* quæstio hîc saltim est de pubertati proximo. Verùm nec hunc donare posse expedi
diti

ditijuris est; uti enim administrare res suas prohibetur, ita quoque, & multò magis, easdem alienare nequit §. *nunc admonendi. 3. 1. quib. alien. lic. vel non.* Imò ne tutore quidem autore donandi facultas ipsi competit *l. 1. §. 2. de tutel. & rat. distrab.* versatur enim tutoris officium principaliter in persona pupilli rectè educanda, & secundariò in rebus ejusdem, ut eæ quoque salvæ maneant, bene administrandis, in qua administratione tutor boni & diligentis patrisfamilias sollicitudinem imitari debet *l. 10. l. 33. de administr. tutor.* qui certè occupatus magis est circa augendum, vel (si hoc nequit) conservandum, quàm diminuendum patrimonium. Pater itaque nequaquam tutorem posse suo pupillo esse autorem, ut res suas donationis titulo in alios transferat. Sed huic regulæ ipse Ictus *in d. l. 1. §. 2.* statim exceptiones quasdam subjungit, quas brevitatis studio hîc omitimus.

XIV. Referendi huc quoque sunt Minores, quibus non immeritò, cum fragile sit & infirmum hujusmodi ætatis consilium, & multis captionibus suppositum, multorum insidijs expositum, dicente Icto *in l. 1. pr. de minor.* alienandi facultas est adempta: Quod tamen sub distinctione melius proponemus. Nam Minor vel habet curatorem, vel eodem est destitutus *l. 3. C. de in integr. rest. min.* Priori casu, cum non ab similibus habeatur ei cui à Præatore bonis est interdictum, quicquid actum erit ipso jure est nullum *d. l. 3.* ratio est, quòd curator rebus minorum principaliter sit datus *l. in copulandis. 8. C. de nupt.* proptereaque sine hujus consensu nihil omnino de rebus suis disponere queat. An verò curatore auctore donare possit, quæritur? quod omnino negandum putamus; uti enim autore tutore pupillus donare non potest, ita nec curatore consentiente minor, quippe cum pupillorum tutores & curatores
mino-

minorum circa alienationem rerum sibi concreditarum eodem loco habeantur. *arg. l. 1. § 1. de reb. cor. qui sub tutel. vel cur. &c.*

XV. Posteriori casu distinguendum est, an rem mobilem, an verò immobilem donaverit. Rem immobilem minor ne quidem adhibito Magistratus decreto alienare potest, *per text. in l. fin. vers. cum autem, C. si maj. fact. alien. sin. decr. fact. rat. hab.* quia decretum non interponitur nisi justa subsit causa; at in donatione simplici non est justa causa decreti, cum is qui donat perdere dicatur *in l. 7. h. t. Giphan. ad l. pen. eod. n. 23.* Si tamen nihilominus donatio ab eo fuerit facta, confirmatur lapsu decennij (computatione factâ à majori ætate donatoris) inter præsentem, & vicennij inter absentes donatore acquiescente *d. l. fin. in fin.* Rem mobilem verò minorem donare posse docet *l. 2. C. si advers. donat.* læsus tamen ex donatione restitui in integrum potest *l. 1. § 2. C. d. t.* nisi post veniam ætatis impetratam eam fecerit *l. 1. C. de his qui ven. ætat. impetr.* aut major factus donationem ratam habuerit *l. f. C. si maior fact. alien. sin. decr. fact. rat. hab.* Ut autem rati habitio illa locum habeat, donationemque confirmet, non sufficit post veniam ætatis impetrationem in minorennitate eam esse factam, sed necesse est post annum 25. eam fieri: Vnde si minor, annorum fortassis 18. donet, & deinde annorum 22. impetratâ ætatis veniâ, donationem confirmet, restitutione in integrum uti non prohibetur *arg. l. fin. C. si maior fact. rat. hab. & l. fin. C. si mai. fact. alien. sin. decr. fact. rat. hab.*

XVI. Ad secundam classem, quam illis qui ob malos mores donare nequeunt assignavimus, pertinent Prodigii, libidinum omniumque vitiorum servi, quo elogio decorantur *in l. ult. § 2. C. de sentent. pass.* Prodigus autem dupliciter quis dicitur, (1) Ethicè, qui crebris profusionibus

B

habi-

habitu vitiosum prodigalitati sibi comparavit. (2) Politicè & Iuridicè, qui à Magistratu, præviâ in mores ejus exactâ inquisitione, talis declaratur esse, qui neque finem neque modum expensarum habet, sed bona sua dilacerando & dissipando profundit *l. 1. pr. de curat. furios.* Ille licet rei veritate sit prodigus, tamen quoad effectum juris, ut scilicet ex nullo obligetur negotio, necessaria est curatore dato declaratio Magistratus & bonorum interdictio. Explodendus itaque est error eorum (quos inter etiam est Donell. in *l. 6. de verb. oblig. n. 8.* & Fachin. 2. *controvers. 63.*) qui statuunt ipso jure prodigo bonis interdici; tum quod expressi textus, ut *l. 10. de curat. furios. l. 3. C. de in integr. rest. min. & c.* reclamant, tum quod prodigum esse sit facti, ac ex circumstantijs dependeat, utrum quis oportuno loco, tempore & modo faciat expensas, proindeque nullâ lege aut juris regula possit definiri *arg. l. 32. pr. de usur.* tum etiam hoc argumento quod adfert Meier. in *Colleg. Argent. de cur. fur. n. 3.* Ubicumque opus est curatoris datione, ibi quoque opus est decreto Magistratus: curator enim nemo datur, nisi decreto Magistratus ejus, qui potest dare curatorem *§. 1. Inst. de curat. l. f. C. de Magistr. conven.* Atqui cum bonis interdicitur prodigo, opus est curatoris datione *§. 3. Inst. de curat. d. l. 3. C. de in integr. rest. l. 10. §. 1. de curat. furios.* Ergo &c. Vid. Gloss. in *d. l. 6. de V. O. Bach. ad Treutl. vol. 2. disp. 6. th. 5. lit. D.* Hillig. in *Donell. enucl. libr. 12. c. 22. lit. F.* Hinc itaque constat, prodigum Ethicè talem, uti reliquos exercere potest actus, ita & validè donare posse, quippe cui nã adhuc rerum suarum sit liber moderatior & arbiter: Iuridicè verò sic dictum, nequaquam, utpote cui bonorum administratio amplius haut competit, sed curatori suo est a mandata; unde qui aliquid à tali acceperit teneatur restituere. Leonh. Less. *tract. de Justit. & Jur. lib. 2. cap. 28. dub. 11.*

XVII.

XVII. Ad ultimam classem referendus est Filiusfam., qui obstante vi patriæ potestatis de bonis profectitijs nihil omninò donare potest, etiamsi liberam peculij administrationem à patre impetraverit *l. 7. pr. ff. de donat. l. 28. §. 2. de pact.* non enim ad hoc ei conceditur libera peculij administratio ut perdat. *d. l. 7.* Excipiuntur tamen h'ic à ICto tres casus: Primus est *in §. 1. d. l. 7.* quando scil. iusta causa & ratio subest donandi ac liberalitatem exercendi, ex.gr. si forori donet aliquid in dotem, præceptori in honorarium &c. Secundus proponitur *in §. idem videamus. 2.* nempe si patris voluntate & concessione id fiat: Ratio autè hujus perspicua est, quia scil. ipse pater donare videtur cum filio id nominatim permittit *l. 3. §. 2. h. t.* Nominatim enim, id est, specialiter fieri debet hæc permissio; nam peculium cum à patre filio conceditur, ac simul ejusdem libera ei permittitur administratio, generali tamen hac administrationis concessione non continetur donatio, licet alia multa contineantur, ut solutio, venditio, &c. Tertius casus habetur *in §. 3. d. l. 7.* si videlicet filius in senatoria, aliave dignitate sit positus; hoc enim casu tacite permisisse censetur pater ut filius donare queat.

XIIX. De bonis castrensibus & quasi castrensibus filiusfam. quin donare possit dubitare nos non sinit *d. l. 7. §. f. h.* quoniam in his bonis vice patrum fungitur *l. 2. ad SC. Maced.* Idem esto iudicium de bonis adventitijs pleno jure ad filium pertinentibus, tum quia in ijs bonis, in quibus patri nihil juris est, filiusfam. licet paganus militi comparetur *arg. l. 50. ad SC. Trebell.* Tum quòd & plenum eorum dominium ad filium pertineat, & administratio quoque ei concedatur, ita ut quo velit modo de ijs disponere possit *Nov. 117. c. 1. §. 1.* At illa adventitia bona, quorum ususfructus patri competit, uti alienare ita & donare prohi-

Debitur *arg. l. f. §. s. C. de bon. qua lib.* quod partim in commodum patris introductum, ut scil. ei jus quod in rebus istis habet constitutum, salvum maneat; partim in ipsius filij utilitatem, ne bonis dispersis ipse egere cogatur, quam prohibitionis rationem ipse Imp. *in d. l. ult. §. s.* subjecit, melius esse, inquiens, coarctare juveniles calores ne cupidini dediti tristem exitum sentiant, qui eos post dispersum exspectat patrimonium.

XIX. Huc quoque pertinent rei criminis capitalis, si ob id commissum secuta fuerit condemnatio (horum enim bona ipsis adimuntur & confiscantur) *l. 15. h. t.* cujus legis variæ lectiones varias etiam interpretationes produxere. Nos autem præ reliquis vulgatam lectionem probamus cum Gothofr. & Giphano. *ad d. l.* quippe quòd in reatu tantum constituto bonorum administratione non interdicitur *l. 46. §. 6. de iur. fisc. l. 41. de solut.* Exceptio tamen est in crimine læsæ Majestatis & perduellionis, quorum rei etiam ante perfectum crimen, simul ac de ineunda factione cogitaverint donare nequeunt *l. 31. §. f. h. l. s. §. 4. l. ult. C. ad L. Iul. Maiest.*

XX. Atque hæc dicta sunt de ijs qui donare sunt prohibiti, è quibus facile iudicium fieri potest, quibus donandi facultas competat. Cum autem donatio semper respectum habeat ad alterum, necesse erit de his quibus donari possit pauca subicere. Dicimus ergò cuilibet posse donari nisi lex fuerit impedimento.

XXI. Sic prohibitio legis facit ut donatio patris in liberos suæ potestati subjectos collata (nam in emancipatis cessat prohibitionis ratio) sit invalida. *l. 11. C. b. t. l. 25. C. de donat. int. vir. & uxor.* pater enim & liberi cum pro una eademque persona habeantur *l. f. C. de impub. & al. subst.* perinde esset ac si sibi ipsi donaret, quod fieri posse dictu

dictu erit per absurdum. Excipitur tamen donatio filio in castra & militiam abeunti facti *l. 4. C. fam. ercisc.* item si pater filio sumtus ad studia donaverit *arg. l. 6. §. 5. de Carbon. edict.* quos etiam ita donasse censetur, ut nec in collationem veniant *arg. l. 50. fam. ercisc.* Vid. Sigism. Sincfelthaus *pract. observ. 11. per tot.* Valet item donatio seu remissio ususfructus quem habet pater in bonis filij adventitijs. Vid. Giphani. *add. l. 11. C. h. n. 10.* Præter hos verò casus pater nequaquam validè donare potest, ita ut statim valeat ab initio.

XXII. Ex post facto tamen interdum confirmatur, & quidem juxta Dd. tribus modis: Emancipatione, Morte patris & Iurejurando. Quin Emancipatione donatio confirmetur nullum habet dubium propter *l. 17. C. h.* Si enim filium emancipando pater illi non adimit quæ antea donandi causa in ipsum contulerat, repetiisse censetur donationem, adeò ut expressam ratihabitionem (quam Treutl. 2. *disp. 19. th. 3. lit. C.* videtur desiderare) insuper habendam esse putemus *arg. l. 31. §. 2. de donat. d. l. 17. C. eod.* Jung. Bach. ad Tr. *d. loc.*

XXIII. Alter modus quo ex post facto donatio vires capit est Mors patris donatoris, ut docemur in *l. 25. C. de don. int. vir. & ux.* quâ constitutum, ejusmodi donationem solâ morte confirmari, quatenus scil. non est immoderata; nequit enim hæc in præjudicium cæterorum liberorum convallescere, sed in residuo saltem subsistit *l. 2. C. de inoff. donat.*

XXIV. De Iurejurando maximè ambigitur, an illud quoque ad donationem patris corroborandam sit validum? Et licet affirmans sententia sit communis, quidam tamen ab ea fecerunt secessionem, quos citat Gail. 2. *obs. 38. n. 7.* Nos distinguendum putamus inter Ius Civile &

Canon. Illo jure nulla hæc confirmatio est *arg. l. 7. §. 16. de pact. l. 112. §. f. de legat. 1. l. 5. C. de LL.* ejus enim quod per se nullum est nulla potest esse accessio, cum ubi nullum est subjectum accidens esse nequeat. Iure verò Pontificio maximè valet; etenim illud, ut jus Civile, non inspicit, an actus cui jusjurandum accedit validus sit, nec ne, sed utrum sine dispendio salutis æternæ id, quod promissum, servari ac præstari possit. *c. quamvis. de pact. in 6. c. cum contingat. extr. de jurejur.*

XXV. Eadem quoque lex annihilat donationem inter conjuges constante matrimonij vinculo factam *t. t. ff. & C. de don. int. vir. & ux.* quod olim moribus erat introductum, novissimè tamen oratione Antonini in Senatu habita est repetitum *l. 1. & 3. ff. d. t.* quæ tres prohibitionis rationes continentur: (1) generalis illa, quòd honestus amor solis animis æstimari debeat. (2) quòd indignum sit concordiam maritalem pretio (sicut adulteria) conciliari: hac enim ratione eveniret, ut matrimonia redderentur venalia, imò sæpe disputerentur, si non donaret is qui posset *l. 2. eod.* (3) quod par non sit meliorem in paupertatem incidere, deteriorem autem fieri ditiolem. Quibus addit Scip. Gentil. *tract. de donat. int. vir. & ux. lib. 1. c. 5.* rationem (4) *ex l. 1. d. t.* ne mutuo amore invicem spoliarentur donationibus non temperantes: & (5) *ex l. 2. eod.* ut esset conjugibus studium liberos potius educandi.

XXVI. Fateor has rationes quidem omnes in *d. l.* reperiri, plerasque tamen non satis prægnantes esse facile penitiùs eas consideranti liquere poterit. Quare potiorrem hujus prohibitionis rationem sumendam putarem à blanditijs conjugalibus, quibus nihil non alter ab altero impetrare potest, nisi causam rixarum & dissidij suppeditare malit. Interim tamen nec illas Ictus debet rejicere
(ceu

Eceufacit Bachov. *ad VVef. d. t.*) sed ex officio suo interpretari.

XXVII. Est autem ita infirmata ejusmodi donatio, ut exinde nulla obligatio oriatur, nulla actio; imò utur accesserit traditio dominium tamen non transferatur in accipientem, sed penes donantem maneat *l. 3. §. 10. & seq. d. t. ibiq. Dd.* hinc datur donatori ad repetendam rem donatam rei vindicatio *l. 5. §. ult. l. 55. eod.* directa quidem si res exstet. *dd. ll.* utilis verò, si, ex. gr. ex lana donata conjux vestimentum sibi confecerit. *l. 29. §. fin. cum l. seq. eod. tit.* vel pro pecunia donata res quasdam sibi comparaverit, eaque exstent. *d. l. 55.* Quod si verò consumptio accesserit nascitur condicio vel sine causa vel ex injusta causa *d. l. 5. §. ult. cum l. seq. l. 33. §. 1. d. t.* quæ eatenus contra donatarium intentatur, quatenus exinde locupletior est factus *d. §. ult.* At si dolo ejus, cui donatum, res non amplius exstet, ad exhibendum, vel etiam damni injuriæ agi potest, maximè si post divortium dolus fuerit commissus *l. 37. eod.* Vid. Mejer. *in Colleg. Argent. ad tit. de don. int. vir. & ux. n. 11.*

XXIIX. Notandum verò, limitationes plurimas hinc reperiri, quibus valet Conjugum donatio vel statim ab initio, vel certè ex post facto confirmatur. Ab initio statim valet donatio inter Principem & Augustam *per l. 26. C. de don. in vir. & ux.* ratio ibidem hæc additur, quòd contractus Imperatoris vicem legis obtineant, i. e. cum prohibitio hæc non ex jure naturali sed lege sit positiva, de ejus necessitate Imperatorem seu Principem exemptum esse rectè dicimus, meritò & actus ejusdem seu contractus majoris sunt æstimandi, quàm ut ad regulas juris Civilis conformari debeant.

XXIX. Porrò rata quoque illa est donatio, ex qua dans non redditur pauperior, i. e. unde nihil ei detrahitur

ex

ex bonis vel juribus jam quæsitis, ut si maritus hereditatem
vel legatum sibi relictum & nondum acceptatum, ut per-
veniat ad uxorem repudiet *l. 5. §. 13. & seq. de don. int. vir.*
& ux. Rectè tamen notat Gomez. *lib. 2. var. resol. c. 4. n. 23.*
& 24. hoc tum demùm obtinere, si uxor aliàs erat succes-
sura, ut quia marito substituta, vel ita defuncto conjuncta
ut ab intestato possit succedere. Tunc enim non accipit
immediatè à marito, sed jure proprio, quod habebat mari-
to non acceptante: alioqui si illa nullum jus habeat, & ma-
ritus repudiet in favorem uxoris, erit potius cessio quàm
repudiatio, cum ipsa immediate jus à marito accipiat, &
quasi ipsius mariti donatum capere intelligatur, ideoque
hoc casu non valet, uti bene ex Gomez. deducit Leonh.
Lessius *d. tr. lib. 2. c. 18. dub. 12. n. 89.* Pauperior quoque non
fit donans si rem alienam donaverit, unde & hanc dona-
tionem constante etiam matrimonio factam subsistere,
Ictus *in l. 25. de d. i. vir. & ux.* pronunciavit. Item non im-
probatur donatio ex qua donatarius non fit ditior, puta si
maritus pecuniam det uxori ad fucos, ad unguenta, ad
mundum, & similes res mortuas *l. 7. §. 1. eod.*

XXX. Valet præterea donatio, si uxor in maritum
adipiscendi honoris gratià (puta ut Consul fiat, vel Sena-
toriam aut Equestrem dignitatem nanciscatur, id enim si-
gnificat *laticlavium in l. 42. d. t.*) aliquid contulerit, ceu
patet ex *l. 40. cum duab. seqq. eod.* Quod tamen non eò tra-
hendum est, quasi Magistratus possit emi; sed ideò permit-
titur hæc donatio, ut sumtus quos propter Magistratum
erogari necesse est, marito suppeditentur. Putavit enim
procul dubio Antoninus, cujus indulgentia hæc donati-
onis causa recepta est, reipubl. plus ornamenti accedere, si
Magistratus splendide gerantur.

XXXI. Illud

XXXI. Illud non usq; adeò est expeditum, an donatio quâ maritus ignobilis vel senex uxori nobili vel juveni aliquid confert, valida sit & subsistat? Et quamvis non desint, qui hanc utpote reciprocam sustineri autument, contrarium tamen magis probatur, tum, ceu rectè monet Bachov. *ad Tr. 2. disp. 19. th. 4. l. B. in fin.* quòd jura nostra ejusmodi reciprocatione & proportionè formæ aut generis ad pecuniam non agnoscant, sed tantum propter reciprocatione in quantitate donationem valere concedant *l. 7. §. 2. de don. int. vir.* tum, quod contractis nuptijs omnes prohibitionis rationes æquè in hac donatione ac in cæteris militent, nec amplius qualitas fœminæ attendatur, quæ nubendo maritum non tantum æqualem sibi, sed etiam superiorem fecit & agnovit. Conf. Fachin. *lib. 3. controvers. 80. Dissent. Dd. communiter.*

XXXII. Denique notandum, receptam & validam esse ex consuetudine generali donationem inter conjuges, quæ tempore Nativitatis Christi fieri adsolet, quia hæc non tam ex liberalitate quàm piâ gratulatione profecta censeatur, ut refert & præjudicio quodam firmat Berlich. *præct. concl. p. 2. concl. 15. n. 29.* Plures limitationes recensere superfedebimus, cum animus nobis non sit omnia quæ de hac ampla materia dici possunt, in hæc pagellas congere, sed pauca eaq; potiora nobis sufficiat delibasse. Adeat qui plures exceptiones desiderat Scip. Gentil. *d. tract. & Berlich. loco modò citato.*

XXXIII. Ex post facto confirmatur Conjugum donati duob. modis: Morte donantis & Iurejurando. Treutl. *d. disp. 19. th. 4.* Circa Iusjurandum eadem est attendenda, quam *supr. th. 24.* posuimus, distinctio, inter jus Civ. & Can., ut quod Dd. dicunt hoc demum, non illo jure verum sit. Jung. Clar. *in §. donatio. q. 9. n. 3.* Rittersh.

C

lib. 3.

lib. 3. diff. jur. Civ. & Can. c. 17. in fin. Dissent. Scip. Gentil. d. tr. lib. 3. c. 25. nec jure Canonico hanc confirmationem subsistere adserens. Morte etiam quin confirmetur dubium esse nequit propter l. 32 §. 2. 3. & 4. de don. int. vir. & ux. l. 1. 3. & 10. C. eod. quod silentio confirmari appellat Justin. in l. 25. C. d. t. idque itidem Antonini oratio ex juris rigore laxavit, ut hæc donationes tacite confirmentur, si ijs non revocatis donator decesserit d. l. 32. Cui jus novissimum & hoc addidit, ut licet nulla intervenerit traditio, sed stipulatione tantum pacto ve legitimo donatio fuerit perfecta, donatario tamen detur vel actio ex stipulatu, vel ex lege condictitia, quæ contra heredem donatoris possit experiri. Nov. 162. c. 1. ibiq. Stephan. & Rittersh. ad Nov. p. 5. c. 12. n. 12. & seqq. quanquam Bach. ad Tr. d. th. 4. dubitet, an d. Nov. sub autoritate legis in foro allegari queat, eò quòd à Neotericis primum ex Græcis translata sit & inserta, ac in vulgari editione desideretur.

XXXIV. Hanc autem prohibitionem ad Concubinam aut meretricem non extendendam esse, ipse Vlpian. autor est in l. 5. & Papinianus in l. 31. pr. de donat. cum nulla earum rationum, quæ inter virum & uxorem donationes prohibuerunt, hic militet. Neque quicquam efficiet si quis fortè regerat, rationem amoris & affectionis etiam in concubinato valere: in promptu enim responsio est, alium scil. esse affectum & amorem longè vehementiorem virorum erga justas uxores, alium & multò remissio-rem erga concubinas arg. l. 3. §. 1. in fin. de don. int. vir. & ux. qui adfectus & favor conjugalis propterea legibus refræ- nandus & reprimendus fuit. Valet itaque quicquid illis personis est donatum, adeò ut licet concubina uxor postea esse cœperit, donatio tamen in eam collata revocari
stea

nequeat; quod enim ante jure valuit, ad irritum ex post facto recidere non debet *d. l. 31. pr. de donat.*

XXXV. Sed dubium hic exurgit de meretrice, an videlicet donatione per promissionē tantū perfectā, actio illi competat ad exigendum promissum? Quod rectè negat Gloss. *ad l. 4. §. 3. in fin. de cond. ob turp. vel injust. caus.* quia turpis hic fuit causa promissionis, adeoque stipulatio ipsa nullius momenti *l. 26. de V. O. l. 123. eod.* Ad *l. verò 4. §. 3.* ex quo alij colligunt eidem actionem competere, eadem respondet Gloss. quamvis quod datum est, meretrix possit retinere, exinde tamen non sequi, & actionem ad exigendum promissum eam habere, cum multa accipiantur & retineantur quæ tamen peti non possunt *l. 1. §. 5. de var. & extraord. cogn.* Quare *d. l. 5. de donat.* de donatione per traditionem consummata, non verò de ea quæ promissa tantum, accipimus cum *Duar. ad tit. de condict. ob. turp. vel injust. caus. c. 4.*

XXXVI. Illud denique observandum venit, diversum in militibus obtinere, qui focarijs suis nihil donare possunt: hos enim noluit Imp. à focarijs hac ratione fictisque adulationibus spoliari, ut loquitur *in l. 2. C. de d. i. vir. & ux.* quod Dd. quoque ad Clericorum focarias extendunt, teste *Bocer. class. 2. disp. 19. th. 7.* quod tamen displicet *Gentil. d. tr. lib. 1. c. 9. & Ludov. Molin. d. tr. tom. 1. tract. 2. disp. 275. n. 15.* ubi *in fin.* dicit, privilegia secularibus militibus concessa, non extendenda esse ad Clericos, nisi peculiariter ea extensio lege aliqua fiat.

XXXVII. Et hæc de personis dicta sufficient; unde liquere putamus, quibus validè donari possit, cæteris scil. omnibus sive sint patresfam. sive filijfam. (extranej) s. puberes s. impuberes *arg. l. 9. de autor. tut.* præsentibus absentesve

sentive *l. 10. h. t. l. 6. C. eod. s. notis. ignoti & extranei l. 29. C. d. t.* nihil item refert honestæ an sint personæ an inhonestæ *d. l. 5. § 31. h. t.* Vid. Coll. Argent. *h. n. 7.*

XXXVIII. Materia donationis est res qualibet tam corporalis quàm incorporalis, in commercio hominum existens, donantis propria, nec alienari prohibita; hinc donari *l. non possunt res commercio hominum exemptæ*, ita ut (1) vel in nullius sint dominio, ut res divini juris, sacræ, religiosæ & sanctæ, item Ecclesiasticæ, quarum etiam alienatio regulariter est illicita. *t. t. extr. de reb. Eccl. alien. non.* imò ne ab ipso Episcopo aut Prælato Ecclesiæ fieri potest; hic enim rerum Ecclesiasticarum non dominus est sed procurator saltim, qui conditionem Ecclesiæ meliorare potest, facere verò deteriore non debet, ut decernit Pontifex *in c. 2. extr. de donat.* quare ibidem iubet donationem utpote contra leges factam revocari: vel (2) in dominio donatarij esse nequeant, ut mancipium Christianum; id enim in hæretici, Iudæi aut pagani dominio esse non potest *l. 1. C. ne Christian. mancip. heret.*

XXXIX. II. Donationis objectum res alienæ esse nequeunt *l. 14. l. 19. C. h.* non enim videtur donator satisfecisse obligationi, nisi rem faciat accipientis *arg. l. 9. §. fin. h.* Quòd si tamen bonâ fide rem alienam tradiderit, hætenus utique valebit donatio, ut usucapiendi conditio transferatur *t. t. pro donat.* Et hinc licet decidere quæstionem, An donator de evictione teneatur? quæ de eo casu tantum intelligi potest, quando res aliena est donata; nam quando propria, inepta foret quæstio. Putamus itaque negative respondendum: cum enim donator bona fide liberalitatem exercere voluit, durum esset illum de evictione teneri, nisi nominatim ad hoc se obstrinxerit *l. 2. C. de evict.* Quòd si verò dolose fuerit versatus, de dolo tene-

tur.

tur. l. 18. §. f. h. t. Add. Bach. ad Tr. vol. 2. disp. 2. th. 5. lit. D.
Dissentiunt Dd. variè, qui multis modis hanc quæstionem
intricatum reddunt. Accurf. in d. l. 18. §. f. distinguit, an
donatio à traditione inceperit, an verò à promissione; ut
illo casu de ea non teneatur donans; hoc verò maximè.
Verum præterquam quod hæc distinctio nullum in legibus
nostris habeat fundamentum, quia in d. §. f. h. l. 2. C. de
evict. & l. 131. §. ult. de V. O. generaliter negatur rei donatæ
nomine evictionem competere, proindeque iejuna erit
divinatio dictos tex. ad illam donationem, quæ à traditio-
ne incepit, esse restringendos, nullam puto idoneam ratio-
nem vel fingi posse, cur quando à promissione donatio
incipit durius promissor teneri debeat, quàm si à tradi-
tione.

XL. III. Res quædam donari nequeunt, quòd
earum alienatio, ceu diximus, sit interdicta: quod fit vel
immediatè solâ lege, vel factò hominis interveniente: hoc
modo prohibitio fit vel per pactum, vel ultimam volunta-
tem: si per pactum, & nihilominus contra id donationis
titulo res fuerit alienata, subsistit quidem donatio, actio
tamen personalis adversus donantem ad interesse locum
habebit. Vid. Bach. ad Fabr. decad. 87. error. 1. 2. & seqq. At
si in ultimâ voluntate testator Titio rem sub conditione,
ne alienet, in favorem & commodum tertii legavit, Titius
verò hac prohibitione non attentâ rem legatam donaverit,
adeò infirmata hæc est donatio, ut iis quorum causâ testa-
tor ita cavet realis actio concedatur. arg. l. 69. §. 3. de leg. 2.
Conf. Douell. 8. comment. 28. Quò etiam pertinet si Testa-
tor cavet ne bona avita extra familiam alienentur.

XLI. Immediatè solâ lege prohibetur alienatio (1)
rerum dotalium. l. 1. & t. t. de fund. dot. publicè enim inter-
est mulieres dotes habere salvas l. 2. de iur. dot. & aliàs do-

tium causa semper & ubique favorabilis est & præcipua *l. 1. sol. matrim.* Eadem quoque ratio est rerum propter nuptias donatarum; licet enim uxor illarum sit domina (ut infra probatum ibimus) nihil tamen de immobilibus nec ipsa nec maritus eâ consentiente alienare, & per hoc donare potest. *l. ubi. 29. C. de jur. dot. Nov. 61. c. 1. (2) rei litigiosæ arg. l. 1. §. f. quæ res pign. obl. non poss. l. 1. & t. t. ff. & C. de litigios. simulac enim de re quapiam lis mota est, id est, postquam à iudice competenti citatio emanavit & ad partem citatam pervenit Clem. cum lite. ut lit. pend. nih. innov. (secus ac jure Civili, quod in realibus ut res litigiosa dicatur requirit citationem aut libelli oblationem, in personalibus litis contestationem. VVesenb. in parat. de alien. jud. mut. caus. n. 5.) omnis alienatio nullius est momenti *l. 2. C. de litig. l. f. eod.* ubi tamen *in fin.* aliquot proponuntur exceptiones. His (3) addi possunt res quæ ædibus sunt junctæ, quæ itidem alienari nequeunt, ne ruinâ ædificiorum publicus deformetur aspectus *arg. l. 52. de contrah. emt. l. 41. §. 1. de Leg. 1. l. 2. C. de ædif. priv.**

XLII. His rebus jam exceptis reliquæ omnes licite donantur, ita ut in arbitrio sit donantis vel res singulas alteri donare, vel etiam omnia & universa bona, modò ratio inofficiosæ donationis non obstet. Et quamvis hæc sententia expressis tex. satis probetur. ut *l. 35. §. 4. & 5. C. de donat. l. 8. C. de revoc. don. l. 3. C. h.* adeoque de jure sit verissima cum quilibet rerum suarum moderator sit & arbiter, ac de ijs quocumque velit modo disponere queat *l. 21. C. mandat.* imò ipso Imp. teste *in d. l. 35. §. ult.* promissione factâ donator omnimodò cogatur vel res, vel partem substantiæ, vel totam substantiam tradere: attamen non dubitavit communis Dd. schola contrariam defendere, hac potissimum ratione ducta, quòd eiusmodi donatio,

natio,

natio, utpote per quam auferatur libera testandi facultas, sit contra bonos mores nec ea proter admittenda: Verum commodè huic responderi potest, (1) hoc fieri non directò & actu principaliter ad hoc ordinato, sed demùm per consequentiam, nonsecus ac per ingressum Monasterij. *auth. ingressi C. de SS. Eccl.* (2) sub bonis non comprehendi nomina, & sic superesse aliquid de quo possit fieri testamentum. Rectè enim monet Bach. *ad Tr. d. disp. 19. th. 5. lit. C.* quamvis aliàs expressione bonorum omnium etiam nomina & actiones comprehendantur, cui communis quoque loquendi usus ad stipulatur, in hac tamen materia exorbitantè & nimis præjudiciali verba rectiùs accipi in strictissimâ significatione. Quibus (3) addi poterit, donatorem in id tantum, quod facere potest, conveniri, ne ablatis vitæ necessarijs ipse egere cogatur *l. 19. §. 1. de re iudic. l. 33. pr. h. t.* hinc vestes, lectus, supellex aliaque ad vitam necessaria omnino ipsi sunt relinquenda de quibus etiam postea poterit disponere. Vid. Coras. *6. miscell. 17.* In praxi tamen communis Dd. opinio, quòd scil. talis donatio non valeat, nisi donator sibi reservaverit aliquid de quo possit testari, est recepta, quam propterea tuetur VVesensb. *in parat. h. n. 4. lung. Clarus d. §. donatio. q. 19.* Reservasse autem aliquid intelligitur, quando in donatione hæc tria conjunctim non comprehendit, jura scil. & actiones, bona mobilia & immobilia, bona præsentia & futura. Schneidvv. *Inst. h. t. §. 2. n. 94. & seqq.*

XLIII. Apprimè autem hîc notandum venit remedium stultitijs eorum oppositum, qui sine ulla ratione prodigunt bona & liberalitatis modum excedunt, quod *Insinuatio* appellatur, & nihil aliud est, quàm manifestatio donationis coram iudice, ut is cognoscat an rata sit habenda: eius enim est curare ne quis contra bonum reip. prodigaliter

digaliter

digaliter sese gerat. Etenim cum donatio actus sit liberalitatis, qui in oppositum prodigalitatis vitium facile mutari potest, prudenter admodum & saluberrimè ab Impp. est constitutum, ut sumtuosas donationes facturi Magistratum adeant, ipsique hoc denuncient, qui tum causam ex circumstantiis probè cognitam (non sufficit enim ut Magistratus sciat, ceu putat *Clar. d. §. q. 15. n. 5. & Dd. comm.*) utrum valida esse queat, an verò ut immoderata amputanda, pronuntiabit. Ne quis autem existimet dominorum de rebus suis disponendi facultatem ita esse restrictam, ut nihil absque Magistratus consensu donare possint, sciendum est, olim ante Iustiniani tempora donationem infra ducentos solidos in se plenissimam etiam absque insinuatione habuisse firmitatem; postea Iustinianum illam quantitatem auxisse, ut donatio trecentorum solidorum etiam non intimata subsistat *l. 34. C. h. tandem verò ab eodem esse constitutum, ut 500. solidos excedens donatio desideret demùm insinuationem l. pen. §. f. eod.*

XLIV. Huius rei quatuor à Dd. assignari rationes ait Mozzius *de donat. c. de substantialibus & c. n. 7.* scil. (1) ut inter insinuationem & donationem deliberare possit donans an sibi donationem perficere expediat. (2) ut iteratio actus ostendat donationis perseverantiam. (3) ut tollatur deceptionis suspicio, & (4) ut occurratur falsis probationum modis. Rectius fortè Schneidvv. duas tantum adfert *in §. alia. l. h.* tum ut ex parte donatarij persuasionibus ac fraudibus, tum, ex parte donatoris temerarijs & effusis largitionibus occurratur.

XLV. Estque hæc insinuatio tantæ necessitatis, ut donans eidem renunciare nequeat, cum in favorem & commodum publicum principaliter sit introducta, imò fraude,

fraude, metu, aut vi facilè adduceretur quis ad renunciandum insinuationi, ac ita lex nullius esset momenti, nec incommodo, cui mederi intendit, occurreret. Et hanc sententiam neminem Dd. in dubium vocare existimamus, cum à plerisque (quod alias frustra & ineptè fieret) moveri quæstionem cernamus, An jurata valeat renunciatio, & an donatio tum subsistat etiam quoad excessum? In qua licet magna inter Dd. sit controversia, teste *Clar. quest. 18.* nos tamen de jure Canon. id omninò affirmandum censemus: cum enim donare ultra 500. solidos neque ex se sit malum, neque prohibitum jure Civili, sed solùm si absque insinuatione fiat nullum redditum, facilè etiam illum defectum jurisjurandi religio supplebit, *Add. Molin. d. tract. 2. disp. 278. n. 13.*

XLVI. Præterea & hinc, quàm necessaria sit insinuatio, est perspicuum, scil. in omnibus omninò donationibus intervenire debet, sive factæ sint personis invicem junctis, ut sunt parentes & liberi, sive extraneis, *per. l. 27. C. h. t.* Imò licet factæ sint Ecclesiæ vel ad pias, non possunt tamen effugere insinuationis necessitatem, si ultra quingentos donatum erit solidos *l. 34. §. 1. C. h.* ibique *Sichard. n. 20. l. illud 19. C. de SS. Eccl. l. 35. §. fin. vers. tantoq. magis. C. h. t.* Non desunt tamen qui hanc sententiam fortiter oppugnant eunt, asseverantes, hodie ad omnes pias causas donari citra insinuationem posse ad octingentos usque solidos. Fundamentum eorum hoc potissimùm est, quòd *dict. à l. illud.* sancitum fuit, ut ad pias causas sine insinuatione donare liceret usque ad 500. solidos, cum tamen tum temporis extra illas causas solùm usque ad ducentos fas esset donare; putant itaque eo ipso quo *l. pen. §. fin. C. h.* extensum est ius quod antea viguit, & quævis donatio ad 500. solidos valere cœpit,

D

etiam

etiam tacitè esse concessum, ut incrementum illud trecentorum solidorum, quod ex *d. l. illud*. habebat, hodie quoque ultra id, quod communiter donari potest, retineat ad pias causas donatio. Verùm hanc extensionem contra Imperatoris mentem esse *ex d. l. 34.* satis colligitur: quemadmodum enim ibi auctà summâ ad trecentos solidos non augetur privilegium Ecclesiæ; ita etiam postea *in d. l. 36. §. ult. C. eod.* extensâ facultate donandi ad quingentos usq; solidos, nihil verò addito de augendis ad pias causas donationibus, apparet, ex mente Imp. nihil speciale hodie illas habere: quare & nostrum non erit sine lege & expresso textu privilegia vel extendere vel inducere, Bachov. *ad Tr. d. disp. th. 6. lit. E.*

XLVII Excipiuntur tamen aliquot casus, quibus insinuatio non requiritur, quos inter (1) est, si donatio ab Imperatore in aliquem sit collata, & à privato in Imperatorem *l. 34. pr. & auth. seq. C. h. Nov. 52. c. 2.* quod rectè etiam ad Principes Germaniæ extenditur. (2) non eget insinuatione donatio pro redemptione captivorum *l. 26. pr. C. h.* (3) si pro refectione ædium incendio vel ruinâ absumptarum corruptarumve quicquam donatur *d. l. 36. §. 2.* interest enim reip. aspectum civitatis non deformari incendijs aut ruinis ædium, ideoque earum resectio juvatur privilegijs. (4) si magistri militum gloriosissimæ res mobiles vel se moventes fortissimis donant militibus; quæ donatio ob favorem militiae absque ulla insinuatione subsistit. *d. l. 36. §. 1.* (5) si una eademque persona plures diverso tempore fecit donationes, eaque omnes conjunctim lege definitam excedunt quantitatem, quia tot sunt donationes, quot vicibus fuerunt celebratæ *l. 34. §. 3. & 4. C. h.* Et hi sunt casus excepti, in reliquis enim semper necessaria est in acta relatio: cujus tamen ommissio non
totam

totam donationem vitiat, sed illud tantum quod superfluum est & legitimam quantitatem excedit *d. l. 34. pr. C. h. Nov. 162. c. 1. & 2.* & hoc repetere potest donator per conditionem sine causa, aut ex injusta causa *arg. l. 5. §. f. de d. i. vir. & ux. Gloss. in l. 21. in fin. de donat.* Superfluum autem dicitur, quod excedit summam 500. solidorum *ex. l. 36. §. f. C. h. t.* quorum æstimationem convenire cum hodiernis aureis Rhenanis (*Goldgülden*) eosque in veteris solidi locum surrogatos esse autor est Schneidvv. *in d. §. alia. l. h. t. Gail. 2. obs. 39. n. 3. & 4.* quamvis VVesenb. *h. n. 6.* aureos Hungaricos (*Ducaten*) intelligat, Conf. Grevæus *ad Gail. d. loc. consider. 2.*

XLIIIX. Potest denique fieri insinuatio coram quocunque iudice etiam incompetente *per l. 27. & 30. C. h.* quamvis tutius sit ut fiat coram iudice ordinario vel personæ donantis vel rei donatæ, monente Schneidvv. *d. loc. n. 11.* quem refert & sequitur Bernh. Grevæ. *d. loc. confid. 1. n. 6.* facile enim fraus fieri potest, si apud iudicem planè incompetentem & ignotum, qui nec res, nec donantem, nec donatarium novit, fiat insinuatio.

XLIX. Perficitur tandem donatio varijs modis: olim quidem aliter ea fieri non poterat, nisi per mancipationem aut traditionem, idque ex L. Cincia. *l. 4. C. Theod. de donat.* ex promissione verò de donando nulla obligatio oriebatur nisi stipulatio intervenerat *l. 22. ff. h. l. 2. §. 2. eod.* hodie tamen nudo etiam pacto perficitur, nec ad sui perfectionem rei aut solennium verborum interventum desiderat *§. 2. l. h. l. 35. §. f. C. eod.* Fit itaque hodie donatio vel (1) per traditionem *§. 41. l. de rer. div.* unde per metonymiam quoque interdum dicitur modus acquirendi dominij, vel (2) per conventionem, eamque vel nudam, ut pactum legitimum *l. 35. C. h.*

vel vestitam, ut stipulationem *l. 2. C. de evict. l. 12. l. 17. & passim. h. t.* (3) per pollicitationem *l. 19. pr. cod. junct. l. 15. C. de SS. Eccl. vel (4) per retentionem ususfructus, vel (5) conductionem rei donatæ l. 77. de rei vind. (6) per acceptilationem, (7) juris aut debiti remissionem l. 12. de novat.* Hi sunt modi per quos actus iste donationis perficitur, qui propterea rectè dicuntur formam eidem suppeditare.

L. Modi verò jam recensiti prout sunt diversi, ita diversos quoque operantur effectus: Siquidem enim traditio statim accesserit dominium etiam ipsum est translatum, juxta *l. 20. C. de pact.* Idem quoque tenendum, si donatio fuerit facta per retentionem ususfructus vel conductionem rei donatæ, sunt enim loco traditionis. *d. l. 77. de R. V.* Si verò per conventionem fuerit perfecta, non oritur exinde dominium, sed obligatio, cujus substantia non in eo consistit, ut aliquod corpus nostrum faciat, sed ut personam nobis obstringat ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præstandum, uti eleganter dicit Paulus in *l. 3. pr. de O. & A.* Quòd si ergò stipulatio intervenit, actio donatario competit ex stipulatu, ad petendum id quod est donatum *d. l. 2. C. de evict.* Si per pactum legitimum, condictione ex lege experiri donatarius poterit. *Nov. 162. c. 1. §. 1. in fin. l. 35. §. 5. C. h. arg. l. un. ff. de condict. ex l. quam etiam ex pollicitatione in pias causas factâ oriri autumo, arg. l. 15. C. de SS. Eccl. ubi ex eiusmodi pollicitatione actionem dandam constitutum videmus.* Quocirca cum simul cautum non sit, quo actionis genere peti donatum queat, ex lege condictioni erit locus *d. l. un. de condict. ex l. Bocer. d. disp. 19. th. 32.* In Remp. autem per pollicitationem factâ donatione, Magistratui extraordinaria cognitio competit *l. 8. de pollicit.* Per acceptilationem verò debitivè remissionem si donatio celebra-

lebra-

lebrata fuerit, oritur inde exceptio pacti de non petendo. His itaq; remedijs contra donantem ejusq; heredes uti potest donatarius, ut obligationi fiat satis: nam licet generosi animi sit potius contemnere levitatem eorum, qui donationes suas exequi sine causa detrectant, potest tamen jure dictis remedijs experiri qui voluerit eas manere ratas. Oldendorp. *class. 4. act. 18.*

LI. Hinc perfectâ donatione regulariter integrum haut est donatori ab ea resilire, eamq; revocare *arg. l. 5. C. de O. & A. l. 17. l. 18. l. 19. C. h. l. 1. C. de revoc. don. nisi ex certis ac jure definitis causis.* Harum autem duæ sunt, quibus donâti in solidum donationem revocandi licentia præstatur, altera, si ingratus fuerit donatarius, altera, si donanti post factam donationem liberi fuerint nati; utraq; egregiâ certè nititur ratione. Nam ad primam quod attinet, nonnè satis injustum foret ab eo injuriam pati, in quem beneficia sunt collata? quid foedius quæso, hominevè indignius vel excogitari posset, quàm ita beneficium rependere? cùm ex Imp. mente liberalitas donantis magis ad obsequia inclinare, quàm ad insolentiam donatarios erigere deberet *l. 1. C. de revoc. don.* quod tamen de quavis injuria, etiam levi aliqua, capiendum non est, hæc enim non sufficit; sed enormis ac atrox, quam lex approbavit, requiritur, quales *in l. ult. C. d. t.* sunt recensitæ, quæ tamen plures ingratitude causas, si sunt similes vel majores, nequaquam excludunt. Absurdum enim & à jure quàm alienissimum esset, si causa ingratitude major committeretur, vel similis eis, quæ à lege expressæ & enumeratæ sunt, eam non eodem jure censerit, quo causæ lege Iustitiani definitæ. Consentit nobiscum *Clar. d. §. q. 21. n. 2.* & *Dd. comm.* Observandum autem hîc erit, non simpliciter graviores causas sufficere, sed eas, quæ simul ad inju-

riam donatoris spectant, eumq; principaliter offendunt. Ex ejusmodi itaq; enormi ingratitude datur donatori actio revocatoria personalis *l. 7. vers. actione C. de revoc. don.* quæ tamen non descendit ex contractu, ut malè Donell. *14. comment. 31.* opinatur, tum quòd nullam conventionem præsupponat, tum quòd non transeat in heredes *l. f. C. de revoc. donat.* Iung. Bocer. *d. disp. thes. 39.* sed rectius dici poterit personalis ex delicto rei persecutoria, ut pote quæ ex ingratitude donatarij oritur, argumento actionis rerum amotarum *l. 21. §. pen. rer. amot.* vel etiam conditio sine causa. In hac actione verò illud ut singulare est advertendum, quòd (ut dictum) non transeat ad heredes neq; activè neq; passivè *d. l. 7. §. vers. actionem.*

LII. Ratio autem, quòd ob supervenientiam liberorum revocari possit donatio, in pietatis conjectura est posita, cum semper tacitâ hac lege ac conditione donare quis intelligatur, ut si liberi postea nati fuerint, ad se quod donatum est suosq; liberos revertatur. Vero similius enim est patrem bona sua vel partem eorum non donasse, si de liberis cogitasset *arg. l. 102. de condit. & demonstr.* quòd nemo præsumatur proprium sanguinem extraneis posthabuisse *arg. l. cum acutissimi. C. d. fideicom.* Quæ ratio cum in quocunq; donatore locum habeat, communiter obtinuit, ut *l. si unquam 8. C. de revoc. Don.* non tantum specialiter de patrono sed de quovis donante sit accipienda, ut tradunt Tiraquell. *ad d. l. si unquam verb. libertis n. 41. & mult. seqq.* Clar. *de §. q. 22. n. l. Myns. 5. obs. 63. & seq.* Bocer. *d. tr. c. 3. n. 28. & d. disp. th. 48.* Rittersh. *lib. 3 de diff. jur. Civ. & Can. c. 21.* & alij infiniti, quod etiam ex æquitate defendi potest, licet multi contrariam tueantur partem, ut Donell. & Giphon. *ad d. l. 8. Coras. 7. misc. 30.* Bach. *d. disp. th. 7. lit. E.* alijq;. Fallit tamen hoc, nec potest

test donatio revocari, si donator beneficio *d. l. 2.* renunciavit, quod etiam in præjudicium liberorum fieri posse putamus cum Sutholt. *d. Dissert. 6. th. 38.*

LIII. Ab heredibus quoq; legitimâ fraudatis potest revocari inofficiosa donatio, i. e. immoderata, immodica s. immensa, non quidem in solidum, ut perperam nonnulli sibi persvadent, sed ratione duntaxat legitimæ *l. 2. 4. 5. l. 7. & 8. C. de inoff. don.* Cuiac. *in parat d. t.* Introdutum autem est hocce remedium ad instar querelæ inofficiosi testamenti contra eos, qui in fraudem hujus querelæ immodicis donationibus patrimonium exhauriendo efficiunt, ne legitima ijs, quibus debetur, maneat integra. Et hinc iisdem personis competit quibus querela inofficiosi testamenti, liberis scil. parentibus & fratribus, si in turpem personam donatio sit collata, sicut & in plerisque illi querelæ est similis, ut quod utraq; quinquennio finiatur etc. Vid. *l. ult. C. d. t.* Differunt verò in duobus: (1) querela inofficiosi testamenti totum testamentum rescindit jure ff. & Cod. jure autem novissimo tantum institutiones heredum, salvis legatis & fideicommissis. *Nov. 115. c. 3. & auth. ex causa C. de liber præter.* VVesenb. *in par. de inoff. test. n. 11.* sed inofficiosa donationis querela, ut dictum, diminuit tantum donationem *l. pen. pr. C. de inoff. don.* revocans quod immoderate donatum est, *l. 7. eod. i. e.* detrahens donationi, quod conquerenti jure legitimæ debetur, ita ut hoc ad patrimonium donatoris redeat *l. 5. & d. l. pen. pr. C. d. t.* (2) Illa non potest habere locum nisi factum sit testamentum: hæc verò ab intestato etiam locum habet *l. 3. C. de inoff. don.* Et tantum de donatione propria.

LIV. *Non propria donatio est, quæ non ex mera liberalitate, sed sub certa causa in aliquem confertur.*
Hanc

Hanc *supr. tb. 6.* subdistingimus, quod vel fiat mortis causa, vel non mortis causa s. inter vivos *ex l. 1. pr. in fin. de donat.* Donatio mortis causa est, quâ quis ob suæ mortis suspicionem vel cogitationē quippiam alicui ritè donat, ut morte secutâ perficiatur ea donatio. Marcianus ICtus in *l. 1. de mort. caus. don.* describit eam, quod sit cum quis habere se mavult quam eum cui donat, magisque eum cui donat, quam heredem suum.

L V. Non sufficit autem ut talis sit donatio, mortis esse mentionem factam, sed insuper requiritur, ut quis intuitu & causa mortis donet. Licet enim, ex gr. testator ita scripserit: Titius heres meus esto, si post mortem meam Mævio dederit centum: attamen Mævius, utut mortis mentio fuerit facta, non est mortis causa donatarius, quia heres, non testator ei donat, ille verò non mortis causa, sed propter implendam conditionem. Hinc quod ita relictum *mortis causa capio* dicitur. *l. 18. l. 38. & seq. h. 1.* Item si in extremis vitæ constitutus absolute & simpliciter donet, non censetur intuitu & causa mortis donasse, sed donatio inter vivos præsumitur *l. 42. §. f. h.* Non enim sequitur factâ estâ moriente, Ergo suspicione mortis; nam quod suspicione aut cogitatione mortis fiat exprimi debet, ut si me mori contingat, si non reversus fuero &c. Conf. Bocer. *d. tr. c. 6. n. 16. & seqq.* ubi plurimis docet exemplis, donationem sub mortis mentione factam pro inter vivos donatione quandoq; habendam esse, ut quando effectus & executio obligationis in eventum mortis differtur, per *l. 42. §. ult. h.* si non sint adhibiti testes quinque; *arg. l. 3. de testam. milit.* item cum in donatione sub commemoratione mortis facta additur clausula, quod ab illa non recedere eamq; nec revocare donator velit

velit

325H

velit *l. 27. h. t.* & pluribus alijs, ubi etiam *num. 29.* addit casus, quibus mortis causa donatio interdum præsumitur licet mortis commemoratio facta sit nulla.

LVI. Dividi commodè potest hæc donatio cum Bachov. *in princ. l. h. t.* in illam quæ fit propter periculum aliquod, & eam quæ fit extra periculum, solâ cogitatione mortis *l. 35. §. 4. h.* cum qua coincidit divisio Iuliani in *l. 2. h.* proposita; nam quod ibi distinguitur an statim res fiat accipientis, an verò non, species diversas hautquaquã constituere potest. Periculum porrò aut est præsens, quod vocatur etiam imminens & instans periculum *l. 2. §. 6. h.* aut futurum *l. 35. §. mortis eod. tit.*

LVII. Mortis causa donare possunt omnes, quibus testamenti factio est. VVesenb. *in parat. h. n. 4.* quæ regula procedit affirmativè non negativè, cum filiusfam. quamvis testamentum ne permittente quidem patre facere possit, ex ejus tamen consensu ac concessione mortis causa donare non prohibetur *l. 25. §. 1. h.* In cujus diversitatis ratione indaganda Interpp. mirè variant. Vid. Berlich. *part. 3. pract. conclus. 1. n. 8. & seqq.* Nos autem solidam rationem cum eo *d. loc. n. 14.* ex legibus XII. tabb. sumendam esse putamus, quæ solummodò testandi facultatem patribusfam. detulerunt, ut quemadmodum paterfam. super pecunia familiaq; suâ legasset, ita jus esset. *l. verbis legis. 120. de verb. sign.* Quare cum lege illâ positivâ ita sit constitutum, ne præter patresfam. quisquam testetur, nullo modo filiosfam. qui nec familiam habet, adeoq; nec caput familiæ esse potest, activa testamenti factio ex patris consensu competet, quippe cum hæc non privati sed publici juris sit *l. 3. qui testam. fac. poss.* quod privatorum pactis mutari non potest *l. 38. de pact.* In donatione autem cum nihil tale videamus sancitum (ut videlicet donans sit pater-

E

pater-

paterfamilias) rectè filius quoque in potestate constitutus donat, modò parentis consensu non sit destitutus.

LIX. Consensus autem iste non sufficit si erit tacitus, sed expressus & specialis hoc in casu requiritur, ita ut pater nominatim filio mortis causa donare permittat. *l. 7. §. 5. de donat.* Licet enim pater generaliter filio de rebus suis disponendi faciat facultatem, attamen eâ non continetur, ceu supra dictum, donationis actus. Requiritur autem hic consensus non ad solennitatem vel integrandam personam filii, sed ob interesse & præjudicium ipsius patris, ne is exinde lædatur & aliquod sentiat incommodum. Et hinc deducimus, saltem necessarium esse consensum patris, quando de bonis profectitiis aut adventitiis quoad usumfructum ad patrem pertinentibus donaturus est filiusfam., de reliquis verò cum invito etiã patre, cum huic nullum inde præjudicium generari queat, licite mortis causa donare posse, contra communem Dd. scholam defendemus. Vid. Hillig. in *Donell. enucl. lib. 24. cap. 33. lit G.* Anthoni. Perez. *pralect. in Cod. ad tit. de mort. caus. don. num. 15.*

LIX. De Minore porrò curatorem habente ambigitur, an absque consensu & autoritate illius donationem mortis causa in aliquem conferre possit? Et Bach. *ad Treutl. d. disp. th. ult. lit B. verb. donare itaque* distinctione rem expedire conatur, ut scilicet donatio quæ res statim traditur non valeat, secus ac illa quæ fit per stipulationem aut pactum nudum in eventum mortis. Alij minorem mortis causa donare posse prorsus negât, quam in sententiam & *Vvesenb. h. n. 4.* videtur inclinare. Nos verò cum *Obrecht. disp. de mort. caus. don. th. 45.* *Bocer. d. c. 5. n. 31.* alijsque intrepidè affirmativam amplectimur, moti fundamento supra posito, quòd minor possit testari *l. 4. C. qui testantur.*

testam. facer. poss. E. & mort. caus. donare l. 15. l. 25. h. t. tum
etiam, quod qui mortis causâ donat non obligetur do-
natario, sed donationem quovis tempore revocare pos-
sit, adeoq; hinc nulla facile oriri queat læsio. Subsistere i-
taq; nequit distinctio Bach. cum utrobique militet ratio de-
cidendi à testamenti factione desumpta: Videtur ille qui-
dem fundamenti loco ponere *l. 3. C. de restit. in integr. quâ*
constitutum, ne minor quicquam rerum suarum absque
consensu curatoris alienet; Verùm hanc l. ad obligatio-
nem rerum minoris inter vivos pertinere vel inde patet,
quod aliàs nec testari posset minor. Illud autem parum
aut nihil eum juvabit, quod priori casu dominium trans-
feratur: constat enim sub eâ conditione hoc esse transla-
tum, si mors sequatur, vel nisi pœnitentia accedat; unde
cum revocare possit minor quodocunq; velit donatio-
nem, nihil aut parum detrimenti, ex illa translatione sen-
tiet. Ad Vvesenbecii verò dubitandi rationem, quod
effectu tantum & quoad testium solennitatem donatio
hæc pro ultima habeatur voluntate, personarum verò re-
spectu, origine ac forma speciem contractus referat, re-
spondendum eam negando, quia etiam quoad formam &
personas hæc donatio ultimis potius voluntatibus quàm
contractibus est annumeranda arg. l. ult. C. h. t.

LX. Donari verò mortis causa potest omnibus iis,
quibus legari. *l. 9. l. 35. pr. h. t.* Legatur autem illis solum,
cum quibus factio (passiva scil.) testamenti est. *§. 24. l. de*
legat. h. e. qui ex testamento quid capere possunt. Hinc
potest filiisfam., servis, infantibus, & aliis, utut testa-
menti activam factionem non habeant, uti legari, sic etiã
recte m. c. donari. Hæc item donatio valet inter conju-
ges facta, *text. expr. in l. 9. §. f. de don. int. vir. & uxor.* cum
enim prohibitivæ rationes ob quas simplex donatio an-

nihilatur hic cessent, ut quæ in id differtur tempus quo vir & uxor esse desinunt *l. 10. d. t.* cur non subsisteret hæc donatio non video: & probatur præterea *ex l. 27. de mort. caus. don.* ubi Marcianus Iustus cum respondisset, donationem quæ revocari non debet esse inter vivos non mortis causa, inde concludit, eam non valere inter conjuges. Adduci quoq; ad corroborandam hancce sententiam posset *l. pen. d. t.* nisi res per se adeò esset evidens, ut longiori non indigeat probatione.

LXI. Verùm enimverò quemadmodum ipsa veritas vel novandi studio vel ingenii ostentandi gratiâ interdum oppugnatur, ita & hic exstiteret, qui contra expressa legum verba, contraq; tot firmissimas rationes defendere sunt conati, hanc, juxta simplicem, conjugibus interdicitam esse donationem. Eminent inter hos Accurs. *in l. 1. §. Celsus 9. de dot. præleg.* Didac. Covarruv. *rubric. de testam. part. 3. n. 2.* Jul. Clar. *sæpe d. §. donatio q. 9. n. 2.* & Petr. Nicol. Mozz. *de donat. tit. de personis. n. 31.* assertioni suæ præfidiû *ex l. 53. de don. int. vir. & uxor. quærentes.* At tantum abest ut in d. l. id inveniant, ut manifestò nostra inde sententia confirmetur: Nam respondit ibi Papinianus socerum frustra donare genero vel nurui; hinc autem non rectè colligitur, si donatio m. c. nurui vel genero à socero facta non valet, multò minus valebit eadem à marito facta uxori: diversa siquidem est ratio harum personarum mortis causa donantium; nam hæc donatio à socero in generum vel nurum collata ideò valere negatur, quòd mortuo socero nuptiæ non solvantur, quæ ratio ex adverso donationem m. c. inter conjuges efficacem & validam reddit. Bachov. *ad Tr. sæpe d. disp. 19. th. 4. lit. B. in pr.* Manet itaque dictam donationem nec non eam quæ sub casum divortii fieri solet, etiam inter conjuges locum habere, non quidem

dem ita ut rerum donatarum dominium statim ad donatarium transeat, sed ut hoc interim maneat penes donatorem, & morte demum donatio confirmetur, *per l. 11. de don. int. vir. & uxor.* Apprimè autem hinc notandum est, jure consuetudinario contra jus Civile esse introductum, ut pacta dotalia conjugum valeant, quibus vel universa bona aut certa eorum pars, vel integra etiam hereditas donantur.

LXII. Filio quoq; familias à patre hoc modo licitè donari potest, cum & hinc amplius non militet ratio, quâ simplex donatio est irrita, patriæ scil. potestatis: Et vice versâ parenti suo consentienti mortis causâ donare filius non prohibetur, tum quòd ex hac donatione obligatio nascatur nulla in donante, cum semper revocari possit; tum etiam quòd morte demum donantis effectum sortiat. *Bocer. d. c. 5. num. 38.*

LXIII. Materia hujus donationis eadem est, quæ donationis simplicis: quæ enim inter vivos donari, eâ multò magis in ultima voluntate relinqui possunt. *arg. §. un. l. de leg. Fus. Cantin. toll.* Ne itaq; Lectori cramben bis coctam apponendo simus molesti, ad superius dicta nos referimus. Monendum tamen hinc erit I. mortis causa donationem, etiamsi excefferit summam quingentorum solidorum, insinuatione tamen nequaquam indigere, hocque cum ultimis voluntatibus esse eidem commune, sed requirere loco insinuationis quinque testes, ut mox dicemus. II. ex donatione m. c. Falcidiam detrahi posse *l. 77. §. 1. de legat. 2. l. 1. §. 3. quod legator. l. 5. C. ad L. Falcid. l. 2. sub fin. C. de mort. caus. don.* cujus ratio est, quòd legatis sint similes istæ donationes, & quâ ratione heredibus illam detrahere licuit, eadem quoq; hocce legis Falcidiæ bene-

ficiam D. Severus in mortis causa donationes suã constitutione induxit. *d.l.2. C. h.t.* ibiq; Giphon.

LXIV. Modi quibus hæc donatio perficitur duo sunt: Res sive traditio, & conventio. Res fit, quando statim res traditur, idq; dupliciter: vel enim ita, ut statim ea fiat donatarii, vel non statim sed demùm post mortem *l.2.b.* Conventione perficitur, quando citra rei interventum promissio de donando fit, idq; vel verbis solennibus, per stipulationem, *ut in l.31. §. f. h.l.34. l.35. §. ult. eod.* vel per pactum nudum, per *l.35. C. de donat.* quam etiam ad hanc donationem pertinere ex Gloss. & Dd. comm. dicit Vasquius *illustr. controvers. 62. n. 11.* & Hillig. *Donell. enucl. lib.14. c.33. lit. I.* Hisce autem modis quando donatio fuerit perfecta, nec ante obitum donator voluntatem suam mutaverit, æquè ac in legatis statim post ejus mortem (nam ante eam non nisi per traditionem dominium transferi putamus cum Surholt. *d. dissert. 6. aphor. 42.*) ipso jure dominium transfertur citra traditionem *l.1. §. f. & seq. de public. in rem act.*

LXV. Omninò autem ad formam & quidem substantialè hujus donationis referri debet præsentia quinque testium, *sec. l. ult. C. h.t.* illa enim ad ejus constitutionem pertinet, nec aliàs censetur perfecta: & hi testes non in illa tantùm donatione quæ 500. solidos excedit, sed in qualibet minore etiam summam continente est necessaria, per text. generalem *in l. ult. C. de codicill.* imò cum non tantum ad donationis probationem sed & ordinationis solennitatem hi testes requirantur, uno contextu illos quoq; adhibendos esse arbitramur cum Bocer. *d. c. 5. n. 41.* per text. *in d. l. ult. ibi: quinque testibus presentibus C. h. t. iunct. d. l. ult. §. f. C. de codicill.* ubi in omni ultima voluntate quinque testium præsentia uno eodemq; desideratur tempore: ac

at m. c. donatio cum sit ultima voluntas, jure merito
& hæc solennitas in ea veniet observanda; alias si hodie
tres, cras duo interveniant, donatio mortis causa tan-
quam ob defectum numeri testium valere non potest.
Berlich. *part. 3. concl. pract. 2. n. 19.* Non requiritur tamen
ut testes sint rogati, quod testamentorum solennitas exi-
git, sed satis est fortè fortuna illos advenisse. *d. l. ult. §. ult.*
C. de codicill. Reperire verò licet casus, quibus restringitur
hicce testium numerus, & duo, ex Dd. monitū, sufficiunt,
puta si donatio m. c. sit facta ad pias causas; cum enim de
jure *Can. per c. relatum. extr. de testam.* in ejusmodi testa-
mento sufficiat, si veritas ejus per duos saltim probari pos-
sit testes, multò magis hæc mortis causa donatio consta-
bit. Hoc etiam privilegio gaudet miles, ut coram minori
testium numero m. c. donare queat. *l. licet. 19. C. de pact.*
ibiq; Bald. & totidem casibus hæc donatio erit rata, quot
testamentum potest subsistere sine solenni isto testium
numero. Sed quæstionis est, si Notarius in tali donatio-
ne adhibeatur, an is tum computari possit in numerum te-
stium, an verò præter hunc alii quinque requirantur? Pri-
us nobis placet *arg. l. 27. de testam. & express. text. in Consti-*
tut. Imper. sub Imperat. Maximil. I. Colonia anno 1512. tit. Von
Testamenten. §. vnd sollen die Notarien auffmerckung haben.
&c. ibi: Zu denen der Notarius auch gerechnet wird / &c. hinc
si quatuor fuerint testes una cum Notario, hic quinti te-
stis vicem supplere potest.

LXVI. Ac ita ferè m. c. donatio constituitur perfici-
turque; nunc dicamus breviter quomodo eadem vicif-
sim resolvatur. Hoc autem fit juxta *Bocer. d. c. 5. n. 53.* vel
ipso jure, vel donantis contrariâ voluntate. Illo modo
resolvitur hæc donatio finito periculo aut gravi morbo,
cujus fuit metu facta, remittente, seu, quod idem, recon-
vale-

valescentiâ & liberatione ex periculo §. 1. *I. de donat. l. 19. de reb. cred.* neq; alia requiritur declaratio, ceu Treutl. *d. disp. 29. th. ult. lit. F.* perperam statuit. Item morte donatarii ipso jure resolvitur. §. 1. *I. h. si scilicet hic vivo donante decesserit. l. 23. l. fin. h. t.* nam cum ea sub conditione, si moriatur aut non redeat donans, perficiatur, non potest non evanescere donatio, si, antequam existat conditio, donatarius moriatur. *d. l. 19. de reb. cred.* nequit enim eam ad heredem transmittere, non secus ac legatum conditionale ante conditionis eventum nunquam transmittitur. *l. 4. l. 5. l. 17. quand. dies legat. vel fideic. ced.* Tertius quo lege hæc rescinditur donatio casus est damnatio donatoris. *l. 7. h. t.*

LXVII. Donantis contrariâ voluntate revocatur, si ipsum donationis factæ poeniteat *l. 30. h. t.* Poenitentia autem isthæc vel expressa est, vel tacita. Illa, si donator aperte significet, se factam donationem revocare & nolle ut ea subsistat. Et licet testamentum nisi per aliud æquè solenne infirmari nequeat. §. 7. *I. quib. mod. testam. infirm.* diversum tamen in hac donatione obtinet, & nudâ poenientiâ revocari potest; unde etiam statuimus ad hujus probationem duos quoq; sufficere testes licet alii quinque & hic desiderent. Decius *in d. l. 19. pr. n. 9. de reb. cred.* Hac vero (poenientiâ tacitâ) donatio revocari dicitur, vel facto donatoris contrario, ut si rem donatam voluntariè postea alienaverit *l. 22. l. 32. §. 5. de don. int. vir. & uxor.* vel capitalibus inter donatorem & donatarium inimicitiis intervenientibus *arg. l. 3. §. f. l. 22. de adim. vel transf. leg. l. 9. de his qua ut indign.* si enim ex hac causa legatum tacitè revocatum intelligitur *d. ll.* cur idem non obtineret jus in hac m. c. donatione ad legati exemplum redacta? An præterea revocari etiam possit per beneficium *l. 8. C. de revoc. don.* videatur apud Bocer. *d. cap. n. 63.*

LXIX.

LXIIII. Superest videamus quibus actionibus donator possit rem donatam repetere, & distinguendum omninò est ex *l. 2. §. 29. h. t.* utrum res ita fuerit donata, ut statim facta sit donatarij, an verò ut mortuo donatore ejus demùm fiat. Illo casu, cum dominium in donatariũ sit translatum, non potest nisi personali actione donans experiri, conditione scil. ob causam; donatio enim ista fit ob causam, nempe mortis, quã non secutã revocatur: Eadem quoque datur, quando donatarius ante donatorem fuerit mortuus. *d. l. 29. in fin.* Defendí quoque potest, inquit Ulpian. *in d. l.* in rem competere actionem donatori, si ita esset donatum, ut jam nunc haberet donatarius, redderet autem si convaluisset donator: quod ita intelligi debet, actionem utilem in rem competere, illamque hoc etiam casu ex æquitate intentari posse; directa enim tantum datur domino, utilis verò interdum & non domino, seu ei qui fuit dominus. *Iung. l. 30. eod.* Posteriori casu cum non sit translatum dominium, sed donator dominus manserit, jure meritoque ipsi in rem actio conceditur. *d. l. 29. h.*

LXIX. Affinitatem deniq; & convenientiam maximam inter hanc donationem & legatum deprehendere quidem licet, in quibusdam verò ab invicem differunt: hinc etiam Imperator *in §. 1. l. h.* cum nimis latè dixisset per omnia legatis esse adæquatas mortis causã donationes, mox particulam *ferè* addit, sicq; verba illa generalia temperat ac restringit. Differunt autem potissimum, quòd donatio m. c. non conferatur in ignorantem, sed in scientem & præsentem; præsentiam tamen præcisè non requirimus, non obstante *l. 38. h. t.* legatum verò perficitur solã voluntate disponentis, absente etiam & ignorante legatario; item, quòd illa valeat, etsi donator decefferit intestatus *l. 25. h. t.* hoc verò minimè.

F

feren-

ferentias consulere potest Azon. *summ. c. de don. mort. caus.*
& Schneidvv. *in §. 1. h. t.*

LXX. Non mortis causa donatio est, quæ sine metu aut suspicione mortis fit, sed aliam aliquam ob causam inter vivos. Estque vel nuptiarum causa, vel non nuptiarum causa. Illius species sunt. 1. Sponsalitia largitas. 2. Dotis constitutio. 3. Donatio Morganatica & 4. donatio propter nuptias. Hujus verò sunt (1) Donatio Mutua seu reciproca. (2) remuneratoria, & (3) donatio ob rem futuram.

LXXI. *Sponsalitia largitas est donatio Sponsi in Sponsam, aut vice versâ, futuri matrimonij causa facta l. cum veterum. C. de don. ant nupt.* Fit enim hæc donatio in hunc finem ac sub hac tacita conditione, *si nuptiæ sequantur*, quâ cessante ipsa quoque evanescit donatio. *d. l. & non solum Sponso & Sponsæ, sed etiam horum heredibus munitura condicendi facultas datur. d. l. cum veter. 15. ibiq. Sichard. n. 7. & seqq.* plurimum autem interest, utrum Sponsi sponsæve culpa intervenerit, quò minus nuptiæ sequantur, an verò casu impediuntur fortuito. Nam si per donatarium steterit, quò minus effectum nuptiæ sortirentur, datur condictio, quia censetur donatum ob causam: at verò si steterit per donantem, non tantum donati retentio sed etiam exactio est. *d. l. 15.* Quod si autem alteruter mortuus fuerit, distinguitur, an sponsus donaverit, an verò sponsa: hoc casu totum quo donatum est repetitur: illo verò iterum distinguitur utrum intervenerit osculum, an verò non; ita ut hinc totum, illic dimidium tantum repetatur. *d. l. 15. & 16. C. de donat. ant. nupt.* credebant etenim veteres solo etiam osculo delibari mulieris pudicitiam: hinc illud Glossæ *in l. 1. de extraord. crimin.* basia & colloquia sunt Veneris præcedentia. Vid. *ead. in l. quod ait lex. ad L. Inl. de adult.*

LXXII. Hodie moribus nostris adhuc quidem
Spon-

Sponsalitia munera dantur & accipiuntur, quod vel experientia teste probari potest, cum quotidie uidemus pro firmando promisso matrimonio, inque argumentum, ac firmitatem contractorum Sponsaliorum ultrò citroq; inter neonymphos dari vel annulos, armillas, catenas aureas, vel alias res mobiles; at si alteruter eorum moriatur, nulla datur superstiti condictio; neque distinguitur amplius, utrum osculum intervenerit, an verò absq; eo munus fuerit oblatum, sed simpliciter mortè donantis, quod datum est, confirmatur. Vid. Obrecht. *disp. 5. de don. th. 61. & seqq.*

LXXIII. *Dotis constitutio est donatio, quæ ab uxore, aliove, uxoris tamen nomine ad sustinenda facilius matrimonij onera in virum confertur. l. pro oneribus. 20. C. de iur. dot.* Cum enim maritus non solum uxorem & liberos, sed totam etiam familiam curare, tueri, nec non alimenta eis præstare teneatur, suggerebat æquitas aliquid à muliere esse præstandum, quò ejusmodi onera, cum aliqui partem ferre debuisset, à marito susciperentur, susceptaq; facilius commodiusve sustinerentur: Nuptura itaq; mulier, aut ejus nomine alius, vel pecuniam, vel prædium, vel aliud quippiam dabat cujus fructibus & commodis maritus illectus, promptior ad curandam familiam ferendosque sumtus alacrior reddebatur. Quod verò ita dabatur, Latine Dos, German. *der Frauen einbringen/ Ehesteuer/ Brautschas/ Ehegeld* etc. dicitur. Hanc autem dotem non solum mulier ipsa, sed alius etiam, ceu diximus, constituit, utpote pater pro filia; non enim leges incognitæ sunt, quibus cautum est, omninò paternum esse officium dotem pro sua dare progenie. *l. 7. vers. neq; C. de dot. promiss.* quod & in omnibus ijs obtinet qui alimenta præstare tenentur. Vid. Nicol. Evenhard. *in loc. legal. 70. ab alimentis ad dotem.* imò ab extraneis etiam rectè dos constituitur; hinc enim

in Profectitiam & Adventitiam dividitur. Constitui verò potest tam ante quàm post contractas nuptias. §. 3. vers. sed dos plenissimo. l. de donation.

LXXIV. Cæterùm hæc dotis constitutio fieri potest vel inter vivos, vel ultimâ voluntate. Hoc modo cum quis testamento suo vel aliâ ultimâ voluntate pro muliere dotem marito assignat, exemplum est in l. 4. ubi pupill. educar. vel morar. deb. Inter vivos verò fit vel traditione l. 23. ibi: dotis datio. de reg. iur. l. 22. solution. matrimon. vel conventionem: Conventio vel pactum est, vel contractus: per pactum olim nequaquam dotis promissio efficaciter fieri poterat, sed necesse erat ut verba solennia sive stipulatio interveniret: At hodie, cum dotis promissio sit pactum legitimum; etiam dos nudâ promissione constituta exigere potest. l. 6. C. de dot. promiss. Notat verò rectè Bachov. in πρῶτ. ad tit. de pact. ubi de pactis agit legitimis. n. 4. & 5. malè ab hac sententia quosdam ut Connan. & Donell. secessionem fecisse, putantes esse conventionem cum causa, & subesse συμμάχαια sive negotium civile, quod sit ipsa nuptiarum contractio, sicque incidere in contractum innominatum facio ut des; ac in eadem hæresi videtur versari quoq; VVeslenb. in par. tit. de iur. dot. n. 4. Sed confunditur causa & conditio propriè dicta, quæ omninò sunt distinguenda: Nam nuptiæ non sunt causa promissæ dotis, sed conditio, l. 21. de iur. dot. quæ tam diu actionem suspendit donec ex fuerint secutæ; adeò ut dos etiâ stipulatione promissa ante nuptias peti non possit l. 4. §. 2. de pact. imò si hæc non distinguantur, & hoc inde resultaret, omnem scil. conditionalem conventionem esse contractum innominatum, quod dictu erit insolens & in iure absurdum. Deinde, ut sit contractus innominatus non sufficit quodlibet factum, sed illud demùm locum causæ obti-

obtinebit, per quod dans fit pauperior, accipiens verò locupletior, vel saltim alteruter fit pauperior, exemplo manumissionis *l. 7. §. 2. de pact.* huiusmodi autem factum non est uxorem ducere, vel nuptias contrahere. Negotium porrò civile est, quod statim intervenit in ipso negotio; at dos non rarò ante nuptias promittitur. Ultimò, ex contractibus innominatis oritur præscriptis verbis actio: ex hoc autem negotio nequaquam illà agere licet, sed conditione ex *l. 6. C. de dot. promiss.* Hodie verò per Constitutionem Iustiniani in *l. un. C. de rei uxor. act.* cum semper fingatur stipulatio intervenisse, semper quoque competit tam ad exigendam quam repetendam dotem actio ex stipulatu *d. l. un. §. 1.* quæ quando mulier ad repetendam dotem eâ utitur bonæ fidei est, ex *§. fuerat. 29. Inst. de action.* Notari verò quàm maximè debet, hodie ex generali Germaniæ consuetudine per pacta dotalia dotes constitui.

LXXV. Utilitas ex hac dotis constitutione proveniens est, quòd maritus rerum dotalium fiat dominus, ac omnes fructus lucretur: hoc probatur per *l. pro oneribus. 20. C. de iur. dot.* illud verò, tum ex *l. 13. §. 2. de fund. dotal. l. 7. §. 3. de iur. dot. l. 23. C. eod. l. quoriens. §. 6. ff. de pecul.* tum ex eo quod jus vindicandi habeat. *l. doce ancillam. C. de rei vind. l. 30. C. de iur. dot.* Neque distinguimus cum Vultej. *1. discept. scholast. 19.* inter dominium juris & rei, ita ut hoc ad uxorem, illud verò ad virum demùm pertineat; hæc enim distinctio nequit subsistere: sed maritum verum ipsarum rerum dotalium constante matrimonio esse dominum putamus, quo soluto jus etiam expirare mariti, & contra jus uxoris interim quasi sopitum reviviscere: quod dominium tamen cum sit revocabile, & soluto matrimonio sine retraditione jure ipso ad uxorem devolvatur, ideoque etiam fictione juris translative ob spem illam dominij recipien-

cipiendi certissimam fingitur dotis domina κατὰ πρόληψιν
five per anticipationem. Excellentiss. Dn. D. Hahn *disput.*
inaugur. de iure rerum &c. thes. 40. Iung. Bachov. *ad Treutl.*
vol. 2. disp. 7. th. 6. lit. C.

LXXVI. Dissoluto itaq; matrimonio maxima uxori com-
petunt remedia; nam statim ad repetendam dotem ipsi com-
petit rei vindicatio *l. 30. C. de iur. dot.* & præterea cum tacitam in
bonis mariti habeat hypothecam, potior quoq; habetur ac
prior omnibus hypothecarijs cæteris creditoribus, etiam an-
terioribus *l. assiduis 12. C. qui pot. in pign.* quod tamen prælationis
privilegium heredibus non competit *l. un. C. de privit. dot.* quo-
niam privilegia quæ personalia sunt cum personis intereunt,
nec ad heredes transeunt *l. 196. de reg. iur.* Exceptio tamen est
in d. l. 12. vers. exceptis. si sui sint heredes, i. e. liberi existant, qui-
bus dos venit restituenda. Sed utrum illis quoq; qui expres-
sam habent hypothecam mulier præferatur, quæstionis est? Et
reperio negativam cum plerisq; Interpp. defendere Petrum
Gudelinum *commentar. de iur. novissim. lib. 4. c. 18. vers. præter ius hy-*
potheca. eò quòd Imperator *in d. l. 12.* dicat, potius jus esse mulie-
ris, licet alij creditores anterioris sint temporis privilegio val-
lati; atqui privilegium, dicit, est tacita hypotheca quæ à lege
tribuitur non item expressa quæ oritur ex conventionione. Sed
contraria sententia; præferri scil. mulierem omnibus credito-
ribus, etiam expressam hypothecam habentibus; longè est ve-
rissima, *per text. general. in d. l. assiduis 12. ibi: potiora iura contra o-*
mnnes habere mariti creditores: C. qui pot. in pign. qui sine vitio ad ta-
citas solummodò habentes hypothecas restringi nequit. Neq;
quicquam obstat argumentum Gudelin. quòd hypotheca ta-
cita tantum sit privilegium: id enim continet verborum saltim
captationem, cum tam accuratè Impp. in suis constitutionibus
esse locutos nemo temerè dixerit: imò licet expressa hypothe-
ca utpote conventionione quæsitæ privilegium propriè loquendo
non sit; attamen jus hoc prælationis, ut prior tempore potior
sit jure, rectè privilegium dici potest, cum regulariter priori-
tas temporis non inducat prælationem inter creditores *l. 32. de*
reb. autor. iud. poss. & Imperator *in d. l. non loquatur de privile-*
gio

gio simpliciter sed de privilegio temporis, quo etiam fruuntur qui hypothecam expressam habent; quare verba *d. l. temporis privilegio vallati*: commodè hanc recipiunt interpretationem, ut sit, qui anteriorem, etiam expressam, habent hypothecam. Sed hoc pluribus persequi nostri non est instituti. Vid. Bach. *ad Tr. 2. disp. 24. th. fin. lit. B. verb. praeferturq.* Bocer. *d. tract. de donat. c. 8. n. 50.* Anth. Perez *pralect. in Cod. tit. de iur. dot. n. 18.* Berlich. *part. 1. concl. pract. 65. n. 5. & seq.*

LXXVII. *Donatio Morganatica* sive *Morganica*, vulgò *Morgengaabe* / est, quam novus maritus, nobilis praesertim, in novam coniugem mane post primum concubitum confert: Hanc donationem consistere dicit Bocer. *d. tract. c. 9. n. 1.* vel in catena aurea vel torque aut qua simili preciositate, vel certâ pecuniæ summâ, eamq; consuetudine & usu esse introductam, & inter nobiles usitatam. Differt verò hæc ab illa juris Saxonici, quæ etiam vocatur *Morgengaabe* / cuius mentionem facit Berlich. *p. 3. conclus. pract. 28. n. 85. & seqq.*

LXXIIX. Succedit jam ultima donationis nuptialis species, quæ jure fforum & veteribus quidem prudentibus prorsus erat incognita, constitutionibus tamen Imperatorum & præcipuè Iustiniani postea introducta & formata est. §. 3. *I. de donat. t. t. C. de donat. ant. nupt.* dicitur autem *Donatio propter nuptias*, Græcis *ἀντιφύων*, qf. dicas, contra-dos, Nobis autem die gegenvermachniß / oder Wiederlage / die Gegenstewr / & describi potest, quod sit *donatio à marito vel eius nomine alio in securitatem dotis mulieri facta*. Olim appellata est *donatio antenuptias*, propter vetitas nuptijs contractis donationes: Iustinianus verò *propter nuptias* dici maluit hanc donationem, quia non tantum post contractas nuptias augeri, sed de novo etiam constitui potest *l. 19. & 20. C. d. t. d. §. 3. I. de donat.* Neq; hac ratione violatur Sctum, donationes inter conjuges prohibens, quoniam illud ad simplices pertinet donationes, hæc autem est ob causam magis, & potius remuneratoria censenda. Anthon. Perez. *pralect. in Cod. tit. de don. ant. nupt. n. 2.*

LXXIX. Hæc autem donatio ejusdem cum dote est natura
ræ ac

ra ac indolis, nihilq; ab ea & nomine & substantia distat, ut loquitur Imp. in d. l. 20. C. de don. ant. nupt. Sed æquis utraq; passibus ambulat, quare quid juris in una est, idem & in altera statuendum. Hinc est quòd æqualitas requiratur, ut scil. utraq; ejusdem sit quantitatis *auth. equalitas C. de pact. convent. tam. sup. dot. auth. dos data C. de donat. ant. nupt.* quæ tamen hodie ex generali quadam omnium ferè locorum consuetudine amplius non observatur, ut tradit Andr. Gail. 2. obs. 78. n. 2. Item quemadmodum soluto matrimonio dos redit ad mulierem, ita quoq; donatio propter nuptias revertitur ad maritum *c. fin. extr. de don. int. vir. & uxor.* Præterea sicuti maritus fit dominus dotis l. 30. C. d. iur. dot. ita etiam uxor fit domina donationis propter nuptias.

LXXX. Et quamvis hoc posterius à multis constanter negetur, ut Bach. ad §. est & aliud l. de donat. & ad Tr. 2. disp. 19. th. 8. lit. B. Bernh. Sutholt *diss. 6. aphor. 44.* & pluribus alijs, nos tamen illam assertionem verissimam putamus: Nam quâ quæso ratione interdicta esset mulieri alienatio rerum propter nuptias donatarum, si illa earundem non esset domina? frustra certè hoc foret, cum non possit non esse notissimum, non domino nequaquam alienandi facultatem competere; mulierem verò prohiberi alienare constat *ex l. 29. C. d. iur. dot. & auth. sive à me C. ad SC. Vellei.* Sed clarius ex eo mulieris dominium patet, quod ei rei vindicatio, ceu legitimus dominii effectus, mulieri competat, quâ contra quemvis possessorem agere potest *d. l. 29. & auth. seq. Nov. 6. c. 1. & Nov. 97. c. 1.* at vindicationem soli domino competere juris est expeditissimi Conf. Excellent. D. Nahn in *animadv. Sutholt d. dissert. 6. animadv. ult. Anth. Perez. d. praelect. in Cod. tit. de don. ant. nupt. n. 4. Petr. Gudelin. d. tr. lib. 1. c. 8.*

LXXXI. Sit itaq; hicce præcipuus hujus donationis effectus, quòd mulier fiat domina rerum propter nuptias donatarum, & quod inde promanat, habeat rei vindicationem *auth. permissa C. de don. ant. nupt.* Attamen fructus qui ex ijs proveniunt non lucratur uxor, sicut maritus fructus dotis, sed illi etiam ad virum spectant, cum ratio quare maritus dotis fructus percipiat

cipiat sit in eo posita, quod solus sustineat onera matrimonij
l. 7. de iur. dot. l. 20. C. eod. quæ in uxore cessat. Neq; tamen inde
inferre licebit, frustra ergo uxori hanc donationem fieri: ha-
bet enim mulier earum rerum dominium, ut tantò magis pro
dote ei sit cautum. Licet enim, ut mox dicemus, tacitam quoq;
habeat hypothecam in omnibus mariti bonis, tamen per hanc
donationem longè melius ipsi est prospectum, quàm rei vindica-
tionem contra quemvis competentem possessorem consequi-
tur, quam hypothecæ obligatione excellentiorem esse nemo
negabit. Alter effectus etiam valde insignis est, quod habeat
tacitam in ea hypothecam. VVesemb. in parat. tit. de iur. dot. n. 11.

LXXXII. Hujus donationis propter nuptias species haut
incommodè poni potest *Dot alitium*, das *Leibgeding*/ oder die
Leibzucht/ quod per totam ferè Germaniam consuetudine ge-
nerali introductum, & inter nobiles præsertim, receptum est,
ac describi potest, quòd sit *donatio per quam vir uxori suæ in
compensatio nem dotis illat æ bona quedam concedit, ut vidua facta
ijs ad dies vitæ utatur fruatur*. Cùm autem hocce jus moribus
sit constitutum, exactè ex legibus juris Civil. definiri non po-
test; quare ad eundem jus Saxon. & Dd. qui in id sunt commen-
tati, consulendi: Vid. etiam Besold. in thes. verb. *Leibgeding* &
Ioachim à Beust tract. de iur. connub. part. 3. c. 9. & seq. ubi bene
exponit, quomodo tam in feudalibus quàm allodialibus bonis
constituatur: in primis verò Matth. Berlich. part. 2. concl. pract.
50. ubi hanc materiam eleganter & latè deducit ac enodat. it.
Bocer. sepe d. tract. c. 11. per tot.

LXXXIII. Transeamus nunc ad illas donationes im-
proprietas quæ non nuptiarum causa fiunt: cuiusmodi I. est
Donatio mutua sive reciproca, quæ ita perficitur ut eodem con-
textu ac momento alter ab altero atq; ita uterq; aliquid
confestim capiat. Nisi enim confestim ac eodem momento
id fiat, sed alter hodie alter verò post tempus longum interje-
ctum quid donet, propriè dicta reciproca donatio non erit;
nam æqualitas & ratione temporis & ratione quantitaris dona-
tæ hîc requiritur. Notandum autem, reciprocam donatio-

G

nem

nem rectè etiam fieri inter personas simpliciter donare prohibitas, ut inter conjuges, tum *per text. express. l. 7. §. 2. de don. int. vir. & uxor.* tum quòd hinc prohibitionis rationes cessent, quia scilicet nemo hinc fit locupletior vel pauperior, ideoq; rectè compensatio donationum fieri dicitur *in d. §. 2.* Hujus donationis exemplum sunt pacta reciproca conjugum de sibi invicem succedendo, quæ licet jure Civili sint nulla *l. 19. C. de pact.* utpote quo pactis hereditas neq; dari neq; adimi potest, moribus tamen, ut valeant, contra juris Civil. rationem est introductum, modò quinq; testibus præsentibus fuerint confecta, qui in omni ultimà voluntate ad minimum requiruntur *l. ult. §. ult. C. d. codicill.* Vid. Gaill. 2. *obs. 126. n. 2. & 3.*

LXXXIV. II. *Donatio remuneratoria*, quæ est cum quis animo remunerandi aliquid in alterum confert. Et hanc donationem esse impropriad inde colligimus, quòd non ex mera liberalitate sed meritorum causâ, inq; horum compensationem fiat *l. 27. d. donat.* Hæc autem donatio itidem fieri potest inter eas personas, quæ simpliciter quidem donare prohibentur: Exemplo esse poterit pater, qui hanc remuneratorem donationem ex Dd. sententia rectè in filiumfam confert, ut ut simplex ipsi sit interdicitæ donatio, ceu supra diximus. Nec officit, quòd filius de patre bene mereri nequeat, cum ei naturâ reverentiam debeat & obsequia: Respondendum enim, benè merita hinc æstimari ex judicio patris, qui id quod filius ex debito præstare tenetur, pro beneficio ducere & habere potest: imò si Senecæ 3. *de benefic. cap. 29. & seqq.* credimus, filius patris beneficia interdum potest superare. Alterum quod secus sentientes objiciunt est; licet concedatur filium bene mereri posse, tamen per hoc non tolli relationem quæ est inter hunc & patrem. Ad quod dicendum cum Gaill. 2. *obs. 38. n. 5.* filium hoc casu pro extraneo haberi, & perinde ac si is operis suis id acquisivisset. Ut autem hæc donatio valeat tria cum Gutierrez. & Menoch. requirit Bocer. *d. tr. e. 3. n. 15.* Primum est, ut bene merita non sint obsequialia, sed artificialia. Alterum, ut merita æquivalent rei donatæ. Tertium ut probentur per filium bene merita.

LXXXV. III. in

LXXXV. III. in hunc censum venit *Donatio ob rem futuram*, veluti si quis Titio donet servum ut post quinquennium eum manumittat *l. 18. §. 1. de donat.* aut si Titio decem donet ut emat Stichum *l. 2. §. f. d. t.* & hæc donatio perficitur per contractum innominatum, inciditq; in *do ut facias*.

LXXXVI. Superest altera donationum divisio, quã dicuntur aliæ purè, aliæ sub conditione, aliæ deniq; sub modo factæ. *Purè facta donatio* est illa, quæ statim & simpliciter absque omni conditione perficitur, ita ut donatario ex ea confestim agere liceat; cuiusmodi est donatio propria, quæ simulac ab utraque parte intervenit consensus, jus quæsitum donatarius habet. *Conditionalis donatio* est, quæ in eventum futurum atq; incertum differt obligationem eamq; suspendit: conditionis enim natura est differre actus obligationem, donec illa impleatur. Et licet is cui sub conditione quid inter vivos est donatum pendente adhuc eâ moriatur, jus petendi tamen quod in spe est, in heredem transmittit, non secus ac in stipulatione sub conditione facta *§. 4. Inst. de Verb. oblig.* In donatoris autem est potestate ac arbitrio, donationi suæ quæcunque conditionem legibus non prohibitam initio adjicere, jam verò perfectæ conditionem apponere in donatarii præjudicium nullo modo potest *l. 4. C. de don. quæ sub mod.* *Sub modo* deniq; donatio est, cum quid datur, ut aliquid fiat, aut sequatur, aut reddatur. Giphani. *ad tit. C. de don. quæ sub mod.* ut si e.g. donem tibi prædium, vel quid aliud, eâ lege, ut mihi præstes alimenta *l. 1. C. d. t.* hæc verò si præbere recuset, potest donans rem rursus vindicare à quovis etiam possessore. *d. l. 1.*

LXXXVII. Tantum hac vice ex amplissima donationum materia excerpere & publico examini exhibere libuit; nam omnia quæ de illa dici aut possunt aut debent hujusmodi dissertatione aliqua proponere velle, æquè ridiculum foret ac si Iliada quis nuci includere meditaretur, cum tantam quæstionum segetem in ea deprehendere liceat, ut volumina aliquot edituro abundè argumentum suppeditare possit, satis
ita

itaque erit nobis, potiora per indicem quasi attigisse. Neque hunc conatum morari potuit vulgò quod dici solet, donationum materiam hodie non esse frequentem, nec amplius (ut loquuntur) practicabilem, quod etiam conqueritur Iulius Clarus *libr. 4. recept. sentent. §. donatio. in pr.* Nam nimis latè eos loqui arbitramur; quamvis enim de donatione simplici aut propria quodammodò verum esse possit, eam paululum jacere sopitam, idem tamen de impropria quoque asseverari posse, planè negamus. Quid enim quæso frequentius magisq; in foro ac judiciis quotidianum, quàm de mortis aut nuptiarum causa factis donationibus incidere quæstiones? Quare nequaquam in hujus materiæ consideratione paulò diligentiori operam nos perdidisse putamus.

Μόνω τῷ Θεῷ ἡ Δόξα

